MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80131-1

AUTHOR:

LEOPOLD, HENRICUS MARTINUS REGNERUS

TITLE:

DE ORATIONIBUS QUATUOR...

PLACE:

LUGDUNI-BATAVORUM

DATE:

1900

Master Negative #

91-80131-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


87CF
L55 Leopold, Henricus Martinus Regnerus,
De orationibus quatuor, quae iniuria Ciceroni vindicantur; specimen litterarium inaugurale quod ... submittet Henricus Martinus Leopold... Lugduni-Batavorum, apud S.C. van Doesburgh, 1900.
109 p. 23½ cm.

Thesis, Leyden, 1900.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA [IIA] IB IIB
DATE FILMED: 7-11-91 INITIALS MT
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
1 2 3 4 5
Inches
1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

De oralibus quatuor

H. M. LEOPOLD.

DE ORATIONIBUS QUATUOR, QUAE INIURIA CICERONI VINDICANTUR.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD S. C. VAN DOESBURGH.
MDCCCC.

DE ORATIONIBUS QUATUOR, QUAE INIURIA CICERONI VINDICANTUR.

DE ORATIONIBUS QUATUOR, QUAE INIURIA CICERONI VINDICANTUR.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

H. A. LORENTZ,

PHIL. DOCT., IN FACULTATE PHIL. PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

HENRICUS MARTINUS LEOPOLD,

ZALTBOMMELENSIS.

DIE XXXI MENSIS JANUARII, A. MDCCCC, HORA III.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD S. C. VAN DOESBURGH.

MDCCCC.

PARENTIBUS.

»It is singular that wherever we find a man higher, by a whole head, »than any of his contemporaries, it is sure to come into doubt, what are »his real works. Thus, Homer, Plato, Raffaele, Shakspeare. For these men »magnetize their contemporaries, so that their companions can do for »them what they can never do for themselves; and the great man does »thus live in several bodies, and write, or paint, or act, by many hands: »and, after some time, it is not easy to say what is the authentic work »of the master, and what is only of his school."

EMERSON, Represent. Men II (Ww. p. 153 *b*).

»Quod igitur plerisque fere ab Homero inde nobilibus scriptoribus eve»nit, ut in nomen illorum darentur vel ab ipsis auctoribus, vel librariis »certe, ea opera, quae sic lectoribus commendari posse, et auctoritatem »nancisci putarent: illud M. Tullio etiam accidisse, propter maximam viri »opinionem non mirandum est. Ac libros quidem ad Herennium sua »commendasse praestantia videtur, quod opus tam elegans, tam perfec»tum vix ab alio proficisci potuisse, homines putarent. Declamationes »antequam iret in exilium, et in Sallustium invectiva, statim sub rena»tas literas agnitae et damnatae sunt. Liber de gloria vix emerserat, »cum suo auctori est redonatus. De epistolis ad Brutum longior fabula, »disputatio impeditior est" e. q. s.

GESNER, Cic. Restit. I init. (Comm. Soc. Reg. Sc. Gott. III 1753 p. 225 sq.).

CONSPECTUS.

CAPUT PRIMUM.

Pag.

De viris doctis qui nostram tractaverunt quaestionem . . . 1

CAPUT SECUNDUM.

De contextu nostrarum orationum pauca quaedam 25

CAPUT TERTIUM.

Enumerantur argumenta, quibus fretus de nostrarum orationum origine Tulliana dubito 42

§ 1. Sententiae elumbes 44
§ 2. Cacophata; iterationes perversae 50
§ 3. Voces perperam adhibitae; Latinitatis suspectae exempla. 53
§ 4. De vocibus male abundantibus 66
§ 5. Imitationis ex scriptis vere Ciceronianis indicia . . . 69
§ 6. In universum pauca quaedam disputantur 77

CAPUT QUARTUM.

De externis quae dicuntur testimoniis 80

THESES 99

CAPUT PRIMUM.

Postquam, priore parte saeculi XVIII, in lucem prodierat Bentlei dissertatio de epistolis quae dicuntur Phalarideis, in quo libro tantam vir illustrissimus ostenderat doctrinae copiam tantamque aciem acuminis, ut non modo ab aequalibus summa acciperetur legereturque admiratione, verum ut hodiernis quoque philologis speciminis sit instar eius rationis qua „altior" quae audit ars critica possit, immo debeat exerceri — non est quod miremur, huic illive ex Bentlei vel discipulorum vel aequalium iuniorum numero natam esse suspicionem, inter cetera quae aetatem tulissent veterum monumenta latere libros nonnullos spurios atque subdititios qui iudicis severitatem expectarent vel etiam aegre desiderarent. Et revera videmus, eo tempore quod proxime sequebatur Bentlei aetatem, haud paucos surrexisse philologos — ut hac utar voce — qui nihil antiquius haberent quam ut summi magistri hac in re premerent vestigia. Sic A⁰. 1741 Iac. Tunstallus in Epistola ad Middletonum Latine scripta demonstrare conatus est, Epistolas Ciceronis ad Brutum et Bruti ad Ciceronem, quarum fidem aeque ac reliquarum epistolarum Ciceronianarum auctor Vitae Cice-

ronis in rebus tradendis secutus erat, esse spurias neque eorum virorum gravissimo dignas nomine quorum circumferrentur. Sic, „quoniam in Ciceronem semel impetus directus erat" [1]), A⁰. 1745 certamini Middletono-Tunstalliano intervenit magna vir auctoritate, Ier. Marklandus, qui libro Animadversionum, Anglice scripto, non solum acutissimi Tunstalli sententiam assensu suo comprobavit, novisque additis argumentis docuit, eas epistolas non clarissimis viris quibus vulgari opinione adscribebantur, sed rhetoribus esse tribuendas [2]), verum etiam in parte posteriore dissertationis suae primus quasdam dubitationes subiunxit de quatuor orationibus quae inscribuntur „post reditum in senatu, post reditum ad Quirites, de domo sua, de haruspicum responso," tanto excogitatas acumine, tamque eleganti et exquisita doctrina explicatas, ut alteram quaestionem simul commovisse et magna ex parte profligasse, alteram plane ad exitum perduxisse videatur [3]).

Huic autem Marklandi dissertationi hic est titulus: „Remarks on the Epistles of Cicero to Brutus etc., with a Dissertation upon Four Orations ascribed to M. Tullius Cicero: viz. (sequuntur tituli), to which are added, some Extracts out of the Notes of Learned Men upon these Orations; and Observations on them, by Jer. Markland. London 1745." (Nostrum argumentum tractatur p. 219—392). De quo libro, qui a iudicibus peritissimis in

1) Ut malitiose admodum observat Lahmeyer, orationis de harusp. resp. habitae originem Tullianam defendit G. Lahmeyer 1850 p. 2 sq.

2) Tunstalli Marklandique de his epistolis sententiae A⁰. 1881 adstipulatus est v. d. Paul Meyer, Untersuchung über die Frage der Echtheit des Briefwechsels Cicero ad Brutum. Stuttgart.

3) Hic illic ipsa nonnulla verba in meum converto usum eorum virorum doctorum, qui aute me de nostris disputaverunt orationibus.

optimis huius generis speciminibus numerandus censetur, paulo fusius nobis erit agendum, quoniam est tanquam fundamentum longae illius seriei commentationum, dissertationum libellorumque qui et hoc et priore saeculo de nostro argumento sint compositi, quorumque primarios breviter hoc capite recensebo.

Marklandus igitur, vir conspicuus ět maximis ingenii dotibus, quibus rite ac legitime usus magnam literum rei publicae attulit utilitatem [1]), ět hercle humanissima liberalissima animi indole [2]) (quam experiebantur ii quos pauper ipse nummis sustentabat), per totum librum genuinum se praestat Anglum, quippe qui Criticam factitet non tam ingenio ductus — id quod in Germanorum atque nostratium magis cadere videatur indolem — quam ratione (ut disertis utar verbis viri ill. Wyttenbach [3])); non enim

1) Praecipua eius opera sunt haec: 1 Epist. critica ad .... Franc. Hare in qua Horatii loca aliquot et aliorum veterum emandantur 1723; 2 Statii Silvas edidit 1728; 3 Coniecturae ad Taylori Ed. Lysiae 1738; 5 Adnotat. in Davisii Max. Tyr. 1740; 5 Remarks etc., vid. Supra p. 2; 6 de Graecorum 5a declinatione imparisyllaba 1760; 7 Euripidis drama Supplices Mulieres 1763; 8 Euripidis dramata Iphigenia in Tauride et Iph. in Aul. 1771; 9 varia scripta minora.

2) De Marklando adeantur S. W. Sutton in Dict. of Nat. Biogr. XXXVI 1893; Nichols, Literary Anecd. IV 272 sqq. (qui Marklandi exhibet effigiem). Natus est 1693; 1710—1717 Cantabrigiae literarum studio dat operam; inde ab A⁰. 1728 est praeceptor privatus; in de ab A⁰. 1752 tranquille vivit in Milton Court („living in great privacy"). Erat modestissimus: „He twice declined to offer himself as a candidate for the Greek professorship at Cambridge"; et liberalissimus: „despite his narrow means he was very charitable to the poor" e. q. s. Obiit A⁰. 1776.

3) Wyttenbach, v. Ruhnken. (Ed. Bergman 1824) p. 244 sq. Cuius iudicio honorificentissimum adiungere libet illustrissimi de Marklando testimonium viri, Peerlkampium dico, qui in Praef. ad Hor. Carm. p. VII haec exhibet: „Marklandus, cuius doctrinam, indicium et felicitatem in restituenda veterum scriptorum manu, modestiam animi et veritatem ad-

ea utitur „Criticae exercendae facultate, quae subito movetur, et in rem inveniendam quasi repentino volatu fertur," quaeque proxime accedere videtur ad „intuitivam" quae vocatur „scientiam" sed contra „ea quae, iudicio ac subtilitate nitens, veluti calculis computandis, pedetentim progreditur"; cui cogitandi argumentandique rationi haud inepte „inductivae" [1]) nomen imponat quis [2]). Ut autem inter omnes constat, iis qui huic se dederint critices factitandae rationi, praesertim opus esse magno acumine sollertiaque subtilissima, ita videmus, ipsis hisce rebus mirum quantum excellere Marklandum [3]). Quin etium haud raro tantopere sagacitati suae indulget vir ingeniosissimus, ut in vitium irruens vitatu difficillimum, argutiarum spinarumque captandarum crimen effugere vix possit. Et, ut libere dicam quod sentio, nonnumquam mihi videtur universus Marklandi liber etsi palam auctor profiteatur pietate erga Ciceronem se fuisse inductum ad scribendum [4]), magis deberi ipsi huic voluptati

---

mirantur fere omnes; qui .... (sequitur laus Marklandi studiorum Ciceronianorum); qui denique et Latine sciebat egregie, et poetas accurate intelligebat, deque iis eleganter et recte iudicabat: in qua re vehementer a Burmanno, in Praefatione Virgiliana Marklandum reprehendente, dissentio."

1) Clarius hic apparet opinor, cur sincerum Anglum supra vocitaverim Marklandum.

2) Utramque facultatem miro modo coniunctam atque sociatam fuisse in Ruhnkenio, testatur Wyttenb. l. l. Ruhnkenius autem hac in re aliquatenus comparari potest cum philosopho hodierno v. Hartmann; qui in sua arte primus felicissime deductivam sive syntheticam rationem coniungit cum inductiva sive analytica.

3) Anonymus (an Guil. Bowyer?) in libello: „a Dissertation, in which the Observations of a late Pamphlet to the Writings of the Ancients, after the manner of Mr. Markland, are clearly answered e. q. s. London 1746," Marklandum „divae Criticae unicas delicias" vocavit. — cf. Wolfius in nostrarum orr. editione 1801 p. XII.

4) Markland, Remarks etc. p. 348: „Could Cicero return from his grave,

ingeniose ludendi, ipsi huic acuminis ostentandi gaudio, quam ineptae nesciocui erga Arpinatem pietati. Huic autem rei tribuendum esse existimo quod interdum viro clarissimo exciderint enuntiata atque iudicia tam σοφιστικῶς conflata, ut facilem praebuerint ansam virorum dd. recentiorum refutationibus. Speciminis causa pauca quaedam huiusmodi enuntiata indicare hic velim:

p. 266 sqq. (de „fortunis recuperatis" ad Quir. § 3), quas Marklandi argutias summo iure refutavit Gesnerus in Comm. Soc. Reg. Sc. Gott. III p. 243 sqq.;

p. 318—332, praesertim p. 321 annot.;

p. 204 annot., ad de har. resp. § 55: „quae consilia sunt o c c u l t i o r a, quam eius qui i n c o n c i o n e ausus est dicere" e. q. s., quae verba postquam perverse vertit vir d.: „What designs are m o r e s e c r e t, than those of Clodius, who i n a p u b l i c A s s e m b l y had the assurance to say e. q. s.," variis modis ludribrio habet „declamatorem", who made this „Blunder". Quas apinas tricasque profligavit Gesnerus l. l. p. 283.

Qui nimius ludendi amor cum magno est detrimento ei causae, cui patrocinatur Marklandus, tum vero alia est res quae non sine iusta causa vitio possit verti viro illustrissimo: nimis enim festinanter librum suum confecit, — unde factum est, ut hic illic, inconsiderate atque inconsulte admodum, a dictione Ciceroniana abiudicentur sententiae vel loquendi formulae, quarum tamen vir d. in aliis orationibus (iisque vere Ciceronianis) invenire potuisset exempla; sic

p. 226, ad de har. resp. § 59 „quae navis umquam in

---

and see such things as these imposed upon the World for his Writings, what Grief and Indignation would it occasion him!" Cui respondet Gesnerus in Comm. Soc. Reg. Scient. Gotting. III p. 277.

flumine publico tam vulgata omnibus quam istius a e t a s fuit?" annotat: „By a e t a s he probably meant Youth.... But I have not met with any instance of the Simple word in that signification"; cum tamen legimus in Act. II Verr. I. § 33: „damna, dedecora, quae res patris eius, a e t a s ipsius pertulit, praetereantur";

p. 246 ad in Senatu § 12 „cum toga praetexta, quam omnes praetores aedilesque tum abiecerant" annotat: „He might have added the Quaestors too," quem iocum intempestivum refellit Gesner p. 237 „aediles cum aedilitate demum adipiscuntur ius praetextae, quaestores illud non habent: nemo autem solet abicere vestem, quam non habet."

p. 308 ad de domo § 74, ubi occurrit „Montanorum" nomen: „montani, a People, in all probability of his own Creation" e. q. s. At Gesnerus p. 259 sq., indicat locum Varronis de L. L. V. p. 49, 7 ubi inter se opponuntur pagani atque montani prorsus eadem ratione ac nostro loco;

p. 303 sq., inconsiderate disputat v. d. de vocabulo f u r e, quod legitur de domo § 112; contra quem vid. Gesner l. l. p. 263 sq.

p. 333 sq. Summa iniuria invehitur in „declamatorem" qui scripserit locum de har. resp. § 6 „T. Annio devota et constituta ista hostia esse videtur"; nimia enim abreptus festinatione, locum non recte est interpretatus. Refellit eum Gesnerus p. 272 sq.; vid. quoque Hoffmann, de fide et auctoritate orationis Cic. quae inscr. de har. resp. Burg 1878 p. 8.

De m e r i t i s vero, quibus ample ac large compensentur haec vitia, quominus multa faciam verba, obstant et huius capitis angustiae et in primis nescioquae verecundia quae me deterret a nimiis laudibus eorum quorum me addixerim partibus. Hoc tantum velim observatum, Marklandi librum,

venustissimo conscriptum stilo, aptissimum esse ad lectorum animos et permovendos et delectandos; quum praeterea non exiguae laudi scriptori debet esse, quod primus qui de nostra egerit quaestione, tot collegerit argumenta, ut, ipse licet verecunde conqueratur, nimis multa a se esse omissa atque neglecta [1]), revera omnem fere exhauserit materiam, ita ut recentioribus philologis qui idem sentirent, nihil reliquerit nisi paucissima quaedam, ea autem exigui momenti. Quid? Nonne videmus, ea quae et Beckius et Schuetzius et Pompius van Meerdervoort de suo addant iis argumentis quae iam protulisset Cantabrigensis, perparvi esse pretii? ipsum denique Wolfium, inveniendi innovandique ductum amore, haud raro fuisse coactum, ut nodum quaereret in scirpo [2])?

Paucis annis post (1753 et 1754) suam sententiam Marklandi opposuit opinioni I. M. Gesner, Latini sermonis existimator vel doctissimus, qui duabus praelectionibus in Universitate Goettingensi A^is^. 1753 et seq. habitis, omnia Marklandi crimina propulsare atque illas orationes rursus Ciceroni vindicare conatus est [3]). Cuius libellus non solum argumento tenus, sed ipso stilo ipsaque cogitandi argumentandique ratione toto coelo distat a Marklandi dissertatione. Quum enim Marklandus, summa omnium virium usus intentione, similior est acerrime contendenti atque litiganti, in Gesneri persona nobis fit obviam senex placidus atque serenus, qui, postquam provocavit ad familiaritatem quam cum Tullio

1) p. 358 „Had I been master of more time, I would have brought together a larger number of Instances of the same sort" e. q. s.

2) Aliud Marklandi meritum infra indicabo Cap. II p. 27.

3) Quae leguntur in Commentariis Societatis Regiae Scientiarum Goettingensi T. III p. 223—284. Titulum iis inscripsit Gesnerus „C i c e r o n i s R e s t i t u t i".

contraxerat studio non multo minus quinquaginta annorum [1]), tranquille atque submisse neque sine tristitia quadam singula adversarii argumenta pertractat annotationibusque suis refutare conatur „ea moderatione", ut ipsius utar verbis [2]), „quae hanc aetatem decere videatur." Valde autem est cavendum, ne ipsa haec moderatio nobis imponat, neve, animi indulgentes affectibus, iis occaecemur in argumentando vitiis quibus idem hic liber tantum non scatet. Etenim, licet hic illic revera refutarit impetuosum adversarium Gesnerus [3]), in universum disputatio eius valde est debilis atque exsanguis [4]).

Cum Marklandus nullum omnino verbum respondisset [5]) cumque eo iam pervenisset res, ut omnes fere viri dd. acquiescerent in opinione eius qui posteriore loco fecisset verba, tum, decem prope lustris interpositis, Angli sententiam suscepit atque novis argumentis rationibusque contra popularem suum defendit vir inter philologos gravissimae auctoritatis, Fr. A. Wolf [6]) qui A⁰. 1801 quatuor harum orationum

---

1) Gesner, Comm. Soc. Reg. Sc. Goett. III p. 230; 232; cf. 284.

2) Gesner, ibid. p. 224 sq.; Wolf l. l. p. LXXXIII. Natus erat Gesnerus 1691, obiit 1761. Erat Bibliothecarius Goettingensis.

3) Vid. e. g. p. 237; p. 246 sq.; 247 sq.; 260, et ea exempla quae supra, ubi de Marklando disputabam, exhibui.

4) Singulorum nonnullorum viri d. in argumentando vitiorum reprehendendorum infra dabitur opportunitas, Cap. III h. l.

5) Wolf l. l. p. XVIII ann.; cf. quoque Rück, de M. Tullii Ciceronis or. de domo sua 1881 p. 4.

6) Eundem Wolfium — „the kissing Judas, Wolf", Browning, Aurora Leigh V s. fin.; „der Wolf der den Homer zerrissen hat" Heine, Br. aus Berlin 26 Jan. 1822 — et orationis pro Marcello addubitasse fidem (1802) notissimum est (quam orationem. ut utar verbis v. d. A. Baumeister in Allgem. Deutsche Biogr. XLIII 1898 p. 745: »er gleichfalls (?) aus eigener Initiative und aus Ueberfeineruug oder Ueberreizung seines Stilgefühls angriff"); quin etiam de unius Catilinariarum (II vel III) in sermone cotidiano dubitasse dicitur auctoritate. Drumann, Gesch. Roms V p. 470: „Schon 1802 schrieb Eichstädt, eine der vier [Catil. Reden] müsse die höhere Critik beschäftigen, Jen. L. Z. 1802 no. 220, und Wolf äusserte, eine der mittlern sei verdächtig." — In neutra re cum eo facio.

novam curavit editionem, quam illustraverat integris Marklandi notis (Latine a se conversis) et Gesneri annotatis, praeterea vero permultis observationibus quas de suo addiderat. Wolfius in hac editione aeque longe est remotus a Marklandi acrimonia ac a Gesneri moderatione, quippe cui tota res non videatur tanti, ut serio atque graviter tractetur; quae eius mens manifeste apparet ex enuntiatis qualia sunt haec: „Quidni liceat interdum illudere scriptori, ubi indignus est seria reprehensione [1])!" „Ridete, patres conscripti, quidquid est vobis cachinnorum [2])!" Vel haec: „Ipsa tota sententia putida est. Quid quaeramus de verbis singulis [3])?" „Mihi religio est, hanc scabiem tangere [4])." „Vere enim Aristoteles dixit *εὔηθές ἐστι τὸ τοὺς εὐήθεις τῶν λόγων λίαν ἐξετάξειν*" [5]).

Non autem mirum, quod res, quae iam conclamata videbatur, Wolfiano nomine sustentata denuo tunc aciem virorum dd. in se verterit: nec deerant mox qui opinioni Marklandianae a Wolfio probatae iam et ipsi ex animi sententia adstipularentur. Immo, per totam priorem huius saeculi

---

1) Wolf, l. l. p. 342, ad de har. resp. § 25.

2) Wolf, l. l. p. 313, ad de har. resp. § 5.

3) Wolf, l. l. p. 358, ad de har. resp. § 37.

4) Wolf, l. l. p. 348, ad de har. resp. § 29.

5) Wolf, l. l. p. 384, ad de har. resp. § 57. Qualia sicui nimis vehementer esse enuntiata videntur, monitum eum ego velim, longe diversum fuisse orationum nostrarum contextum quem legebat Wolfius, ab eo qui est in editionibus recentioribus. Etenim, optimus qui nobis adest codex, Parisinus 7794, in lucem nondum erat protractus; vid. infra cap. II init., ann. 2.

partem in duo tanquam castra divisi erant viri dd., ut ex hac apparet tabella:

γνησιότητι patrocinabantur et alii et Weiske, Savels, O. Müller, Hand, Stürenburg, Drumann, Lucas, Klotz, Bähr, C. Fr. Hermann, C. H. Frotscher, Nägelsbach [1];

νοθείας agebant causam e. g. Beck, Schuetz, Beier, Madvig, Bernhardy, Ambrosch, Orelli 1826 et 1836, Haase, Zeyss, Freund, Nobbe, Niebuhr, Reisig [2].

Ex quorum numero qui ipsis verbis atque data opera de nostra egerunt quaestione, sunt fere hi:

Beck 1807, qui in Excursu Critico (Ed. Cic. IV 4 p. 612—627) repetit fere Marklandi et Wolfii argumenta, paucis ad Gesnerum refellendum adiectis;

Weiske 1807 (Ciceronis oratt. XIII selectae, p. VI—XIV) de duabus praesertim post reditum habitis et de Marcellina agit; qui eo quod ipsas hasce orationes in corpusculum receperit orationum selectarum, ostendit non multum se tribuere iis argumentis quae ex stilo atque arte oratoria petuntur quibusque solis magnum inesse momentum infra demonstrare ego conabor [3]. (Cap. III).

Schütz 1816 qui (Proleg. in Ciceronis quae vulgo feruntur orr., Ed. Cic. VIII 3 p. III sqq., apprime p. XXV—XXX) paucissima quaedam hac de quaestione affert, cum p. X omnino lectores ad ipsum Wolfii librum ablegare maluerit,

1) cf. Lahmeyer, l. l. p. 7 sq.; Rück, l. l. p. 6 sq.

2) Lahmeyer, l. l. p. 4 sq.; Rück, l. l. p 5 sq. cf. quoque Bakius, Mnem. VI, 421 sq.

3) Simili ratione ante Marklandum non erat veritus una atque eadem editione tanquam orationes selectas complecti Milonianam egregiam orationem nostrasque „post reditum" quae vocantur declamationes vir d. Heumannus in libro: „Ciceronis orationes pro Archia, in Catilinam, post reditum, pro lege Manilia, pro Milone, emend et illustr. a Cph. Aug. Heumanno, Isenaci 1735.

quam excerpere illum; quam compendiariam disputandi viam iniit et Nobbe in editione sua.

Primus autem, qui post Wolfium sit ausus singulari atque integro libro nostrarum orationum suscipere patrocinium, fuit Savelsius 1828 (de vindicandis Ciceronis V orationibus, Colon.). Hic autem vir d. tria sibi demonstranda proposuerat (p. VI): primum a Cicerone revera scriptas esse orationes de argumentis quae nostris orationibus pertractentur; alterum inde a Ciceronis aetate usque ad Prisciani tempora constanter ab omnibus easdem quas nunc habeamus, orationes pro Ciceronianis habitas atque laudatas esse, tertium in ipsis orationibus nihil inesse quod Cicerone sit indignum. — In his repetit fere argumenta Gesneriana. In singulis autem locis percensendis ita deinde versatur, ut eos tantum tractet (p. XXI) qui a Beckio ut vitiosissimi notati sint. Hinc vero factum, ut perpaucas tantummodo quasdam in examen vocet locos eosque haudquaquam praecipuae difficultatis; quod autem pollicitus est (p. XXI) brevi tempore commentarios in singulas orationes sua opera prodituros, in quibus ne tenuissima quidem suspicio neglecta esset, hoc promisso non stetit vir doctus [1] (Edidit enim orationem tantum post red. in Senatu 1830, quam comparare mihi non potui).

Drumannum deinde 1835 (Gesch. Roms II p. 331; V p. 471—474) quum ea fere proferat argumenta quae apud posteriores quoque originis Tullianae defensores recurrant, numeri tantum causa hic nomino; hoc unum observatum velim, non fuisse opus ut tantum insumeret laborem vir d. ad refellendum Wolfium, quum ab ipsis adversariis conce-

1) De industria Lahmeyeri p. 7, 2 hic utor verbis, ne cui videar nimio partium studio abreptus esse in iniquam erga adversarium sententiam.

datur satis antiquas eas esse orationes, ut in rebus historicis pro testimoniis laudentur atque adhibeantur fide dignis; quam unam rem spectasse scriptorem historicum consentaneum est.

Lucas 1837 cuius libellus (quaestionum Tullianarum specimen, Hirschb.) ad manum non mihi erat.

Klotz 1839 (Cicero's Reden III p. VII, cui errore typographico inditus est numerus VIII, et in annot. ad nostras orationes), quem, quum in singulis tantummodo versetur locis defendendis atque tuendis, in sequentibus suo subinde laudabo loco.

Paulo fusius disputandum erit de v. d. Lahmeyer 1850 et ob magnam qua inter philologos floret auctoritatem, et quoniam aptissimus illius est libellus [1]) qui in errorem inducat lectorem imprudentem, cum accuratissima qua conscriptus esse videtur diligentia, tum vero doctrinae copiis amplissimis, quibus usus liberalissime locorum laudatorum diluvio eum submergat ac tantum non perdat. Cui viro d. tam firme est persuasum, Ciceronis esse orationem de har. resp., ut hiulco haec profiteatur ore (p. 65): „Verum enimvero ex sobria totius caussae pertractatione patere vidimus, nihil certius stare, quam in nostra quidem oratione nomen Ciceronianum; quaecunque prolatae erant offensiones, evanuerunt diligentius exploratae; omnia omnino, quae aliquid probare possent, pro Cicerone pugnare intelleximus, ita quidem, ut, etiamsi, omnibus deletis testimoniis externis, sola coniectura orationis auctor iam assequendus demum esset, ne sic quidem nos ullo modo de uno designando Cicerone dubitaremus." Iamque videamus oportet, cuiusmodi

1) Cui est titulus: „Orationis de haruspicum responso habitae originem Tullianam defendit Gust. Lahmeyer, Gott. 1850."

sit sobria illa totius causae tractatio, quam adhibuisse se ipse testetur vir doctissimus. Atque primo quidem loco observandum est, graviter munere suo perfungi Lahmeyerum, cum gravitate eum vituperare adversarios, graviter denique nova eum afferre argumenta (ea autem non aeque semper gravia); quid enim? haec ipsius sunt verba (p. 19): „Gravitas iudiciique severitas, quae in vita quotidiana nonnunquam remittitur paululum, in Scientia certe semper servanda est." Cuius tamen ipsius gravitatis vere Germanicae nonnunquam fit immemor v. d., e. g. ubi, magna credo commotus indignatione, exclamat eam criticae artis rationem qua utatur Wolfius, „ebrio potius quam sobrio numine regi videri" (p. 37 sq.), vel ubi in vitium fertur gravitati ex diametro ut aiunt oppositum, pusillum dico animum atque sordidum; eo enim delabitur vir eruditus ut (p. 6, 4; 34, 5; 37, 1; 49, 1) singula enumeret atque computet errores vel vitia quae in Wolfii, Beckii, Schützii Latinitate obviam sibi essent facta [1]).

At graviora habemus quae afferamus contra virum gravissimum [2]). Primo igitur loco exemplum exhibere velim sobrie critices factitandae rationis Lahmeyerianae; pagina enim 34 agit de loco de har. resp. § 22 ubi in codicibus coniunctim leguntur tria verba atque formulae (ni, haud scio an sine „non", aedil*i* pro aedil*e*), quae, ut prorsus abhorrent a Ciceronis loquendi usu [3]) ita levissima quadam immutatione

1) Subsimilia invenimus apud Rueckium, p. 49.

2) Qui magno semper et ubique cum contemptu loquitur de Wolfii „altiore" quae vocatur artis criticae exercendae ratione.

3) Accuratiore codicum studio post Lahmeyori demum instituto aetatem, apparuit, coniunctionem ni non recte olim a Ciceronis abiudicatam esse dictione, occurrere enim eam voculam Verr. III 135 (cum coni. praes.); ibid. 132; 137; 149; IV 55; V 141; Pis. 71; Phil. XI 27; XIII 13 (cum

facillime in optimae notae Latinitatem possunt converti; at viri religiosissimi animo haerebat scrupulus ne id adhiberet remedium (vehementissimum scilicet!) quod unicuique statim occurrit — et quod revera adhibuerunt editores recentiores — ut mutaret n i in n i s i, ut insereret n o n post „haud scio an" vel legeret „haud scio num", ut denique rescriberet aedil*e* [1]): leniorem ille excogitavit medelam: totam enim sententiam:

„quod ni tu Megalesia illo die spectare voluisses, haud scio an vivere nobis atque his de rebus iam queri liceret. Vis enim innumerabilis incitata ex omnibus vicis conlecta servorum ab hoc aedile religioso repente e fornicibus ostiisque omnibus in scenam signo dato immissa inrupit"

tanquam glossema delendum esse censet. Quae violentissima „emendandi" ratio et per se spectata vitiosissima est magisque lanii personae conveniens quam g r a v i s philologi, et nostro loco tam longe abest ut ex omnibus nos extricet difficultatibus, ut novas statim nobis pariat molestias; etenim, si legimus:

„Quos igitur haruspices ludos minus diligenter factos pollutosque esse dicunt? eos, quorum ipsi di immortales atque illa mater Idaea t e, t e, C n. L e n t u l e, cuius abavi manibus esset accepta, spectatorem esse voluit. T u a t u m, t u a, C n. L e n t u l e, eadem virtus fuit, quae in privato quondam tuo proavo,"

---

imperf.); Caec. 45; Sest. 82; Pis. 55; Scaur. 45; Phil. XI 26 (cum plusquamperfecto).

1) Aeque religiosum se praestat e. g. p. 36 sq. (ad de har. resp. § 33), ubi traditum i l l a in i s t a, p. 44 (ad § 12) ubi a c in v e l quominus mutet, obstat nimia prudentia ac circumspectio; posteriore autem loco sic defendere studet voculam traditam: „apparet a c ferme idem significare quod v e l." Cf. quoque h. l. Cap. II.

ineptissime, una tantum interposita linea, iterata legitur ad Lentulum apostrophe. Ita ut, recepta Lahmeyeri emendatione, una litura delenda essent verba [tua, Cn. Lentule].

Quum autem v. d. contendat (p. 38), nihil probari iis argumentis Wolfianis, quae versentur in erroribus peccatisque historicis, Cicerone indignis, quae in orationibus nostris deprehendantur, in ratione grammatica, in logica sententiarum veritate, in elegantia et ceteris virtutibus rhetoricis, in charactere qui dicitur Ciceronis proprio, in rationibus denique generalibus, omnia aspernatur atque neglegit quaecunque u n i v e r s a disseruit Wolfius, ut ad singulos locos accedat diiudicandos. Haec igitur disputationis Lahmeyerianae pars primaria maximique momenti; at quantopere expectationem nostram fallit vir d.! Ne de perversa argumentandi ratione hic loquar, qua usus (p. 55 sqq.) magnum congerit diligenterque comparat numerum sententiarum atque enuntiationum ex orationibus vere Ciceronianis, quae in or. de har. resp. repetitae occurrant; non enim vidit vir d., minime hoc pro sua facere causa, quoniam et imitator versutus assidua lectione et meditatione eandem facultatem potuit assequi [1]); — exempla pauca indicare velim eius rationis qua refutare conatur Marklandi Wolfiique crimina.

p. 49 sq. inusitatam atque inauditam coniunctionem verborum „germanitatis stupris" (§ 42) [2]) defendit allato loco

---

1) Ut recte monuit Hoffmann, l. l. p. 19. Similiter p. 54 *παρηχήσεις* annominationesque quae frequenter in nostra occurrunt oratione, Lahmeyero iudice praebent *γνησιότητος* indicium, quum libentissime eo ornamento uti soleat Tullius; — at declamatoribus quoque huiuscemodi elegantias fuisse in deliciis apparet et ex aliis innumeris declamationibus et ex ea quae inscribitur „a n t e q u a m i r e t i n e x i l i u m". Vid. quae hac de re disputavi Cap. III § 2.

2) Ubi Lambinus proposuit: „in domesticis g e r m a n i s q u e stupris

Milon. § 73: „Cum sorore germana nefarium stuprum fecit." Quasi aut Wolfius non intellexisset locum, aut notissimorum in Miloniana verborum fuisset immemor! cf. Markl. p. 391. — Non h. l. opus est explicatione, sed locis parallelis e quibus appareat, Latinam omnino hanc esse verborum coniunctionem.

p. 43 sq. male defendit verba „odio severitatis" (§ 5).

p. 50 verba „reditus gratiae" (§ 52) [1]), pro quibus expectaveramus „reditus in gratiam", doctissime cum Savelsio (p. XXXV sq.) ita explicat, ut „gratiae" pro genetivo qui dicitur subiectivo sit habendum: quasi Wolfius Lahmeyeri egeat praeceptis instructionibusque in re vel pueris notissima!

p. 44 vocem „virili" (§ 8) [2]) in qua omnes docti haeserant interpretes, elegantiae ac venustatis causa esse additam contendit vir eruditus.

Quae leguntur p. 45 infra (§ 61), provenerunt e Wolfii p. 389 verbis a Lahmeyero male intellectis [3]). Idem enim uterque vult.

p. 47. Incredibilia quaedam exhibet de loco „duobus inceptis verbis" (§ 1) [4]); postquam enim statuit, Wolfium ex-

---

„est volutatus"; Graevio indice h. l. germanitas valet i. q. „germanae sorores", ut „matrimonium" nonnunquam = uxor, „servitia" interdum valet „servi". cf. Liv. 40, 8 „Germanitatis memoriam"; Apul. Met. V c. 27 „ipsa fallacie germanitatis inducta", quales loci disertiores mihi quidem videntur quam est is quem attulit Lahmeyerus.

1) „Reditus in gratiam" legitur prov. cons. 47, Mil. 88; ad Att. II 3. — Iam audiamus Gesneri, p. 282 defensionem loci; „Nonne apud Horatium „Prisca redit Venus"? Nonne gratia hic est mutuus amor, cuius reditus potest intercedere"? — Qua viri illustriss. „defensione" mihi quidem minime probatur loci integritas.

2) De quo loco cf. Markl., p. 334 sq.; Gesner 273 sq.

3) Locus autem Phil. III 3 quem affert Lahmeyer, nullius est pretii.

4) De quo loco vid. Markl., p. 332; Gesner 272; Wolf 323.

pectasse „vix duobus verbis prolatis" etc., sic pergit: „At noluisse hoc Cicero dicere videtur, siquidem ex simplici, qualem adhibere decet, verborum explicatione elucet, nullum potius omnino vocabulum integrum ab eo pronunciatum esse, sed tantummodo incepisse eum duo ac voce attigisse h. e. fortasse litteras eorum initiales protulisse, ut si in alia re dixerit V. C. pro „Videant Consules"" (!?) Quae mihi quidem merae videntur nugae. — De re cf. § 7: „voce tantum attigi legum initium" e. q. s.

p. 47 sq. Male defendit verba § 11: „domum meam ne una quidem attigit litera religionis" (pro „de religione", id quod postulat Markl. p. 336; cf. Cluent. 184: „in quibus tabellis de furto littera nulla invenitur [1])"). Non hic locus desiderat interpretationem — quam tamen praebet Lahmeyerus — sed locos qui dicuntur parallelos ex orationibus vere Ciceronianis; nam nullius, ut fert res, sunt pretii verba ex oratione quae aeque est subdititia de domo § 128 „unum ostende verbum consecrationis."

p. 50. Infelicissime explicare atque tueri conatur Lahmeyerus locum graviter corruptum § 62 „cum quibusdam multis metuendisque rebus" [2]).

Paucissimis deinde perfungi possum de v. d. Pompe van Meerdervoort, qui in dissertatione cui est titulus „annotationes ad orationem quae Ciceronis fertur de har. responsis" (qua 1850 in nostra Universitate doctoratus sibi

---

1) Longe diversa omnia sunt loco ad Fam. I 1, quem affert Gesnerus, ubi legimus „calumniam religionis."

2) Quo loco aut cum Madvigio (Adv. Crit. III p. 142) legendum „quibusdam monstris multis metuendisque [rebus]", aut cum Muellero „quibusdam monstris metuendisque rebus" (cf. Ov. Met. XV 24), aut denique crux collocanda ante „multis" (pro qua voce Mommsen prop. „invisis").

comparavit gradum), praeter Marklandi et Wolfii argumenta vehementer sibi probata, non pauca profert nova crimina a se excogitata atque addita[1]); (leguntur autem p. 41—87). Quum vero iam v. d. Hoffmannus totum hunc libellum satis accurate tractaverit eaque quae reprehensione digna sibi essent visa, refutaverit, ego me rei satisfecisse existimabo si speciminis causa pauca quaedam viri doctissimi exhibuerim enuntiata atque iudicia.

p. 52 (de § 8) „ante vocabulum f a s" inquit „requiritur negatio ad significandum nulli viro licuisse adspicere Bonae Deae sacra; aliter enim prorsus inepta foret additio particulae „ne quidem"." Ex quibus verbis apparet, vim particularum „n e q u i d e m" prorsus fugisse virum d.: etenim addita ista negatione, quam requirit Meerdervoortius, sententia oritur a contextu alienissima.

p. 43 graviter accusat verba § 2 „sine suo vultu consistere"; „ineptissimum est" inquit „hoc sine vultu." At, locum non intellexisse virum d. et quivis videt, et demonstrat Hoffmannus p. 12.

p. 53 ignorat v. d. (disputans de § 10 „praemonere de scelere ac furore") vocem sceleris nonnunquam plane idem valere ac „impietas", „animus scelestus", ut e. g. Sest. 4; 14; 22; 53; Catil. I 8; II 11; 25; cf. Verr. V 161; Cat. I 15; III 4; Pis. § 26 c. 12.

p. 76 incredibilia quaedam legimus. Existimat enim Meerdervoortius, § 43 C. Graccho magnitudinem animi falso esse tributam, quum magni animi fuisset non tam expetere poenas mortis fraternae, quam ignoscere interfectoribus et operam dare, ut oblivione obruatur id facinus.

p. 58 quod „deterrendi" verbum (§ 18) sensu „a sen-

---

1) cf. Hoffmann, l. l. p. 4.

tentia vel proposito avertere aliquem" a Cicerone de personis tantum adhiberi putat, ignorasse videtur locos Tullianos quales sunt Tusc. I 91; ad Fam. V 12, 1. (Hoffmann p. 15).

p. 75 Negat vir d. (ad § 57) ingenium ipsum dici posse „praestans"; in homines enim, ingenio praeditos, potius hoc convenire epitheton. At pro Lig. § 1 legimus: „Pansa, praestanti vir ingenio", de fin. II 16 „homines praestantissimis ingeniis". Etc. etc.

Nihil iam obstat opinor, quominus ex animi sententia adsentiamur Hoffmanno ubi dicit (p. 18): „Meerdervoortium susceptum opus male sustinuisse atque nihil omnino profecisse, sed quod doctrina et ingenio non potuerit, audacia et temeritate compensare conatum esse."

Neque vero multo maioris est pretii ipsius H o f f m a n n i libellus cui est haec in fronte inscriptio: „De fide et auctoritate orationis Ciceronianae quae inscribitur de har. resp. Burg 1878." Qui vir d., postquam sibi persuasit ea crimina quae intenderint Wolfius et Marklandus, iampridem esse diluta a Gesnero Lahmeyeroque, de iis tantum disserit argumentis quae ex propriis doctrinae copiis deprompserat Meerdervoortius, cuius permultas redarguit vanas criminationes, multos reprehendit errores, haud pauca indicat mendacia, complures denique refutat argutias atque subtilitates arcessitas. Id quod — ob adversarii nempe levitatem — facit et aptissime et promptissime; at ubi proprio marte nonnulla profert, in miras quasdam hic illic delabitur ineptias; sic serio contendit, revera Ciceronem esse orationis de har. resp. quae ad nos pervenerit auctorem, quoniam declamator „maximam partem earum rerum, quibus i u r e offensi sunt adversarii, non commisisset, sed in compositione accuratior, in referendis rebus et factis copiosior, in elocutione elegan-

tior fuisset" (p. 20)[1]). Qualia refutatione iam non indigent opinor.

Ad eum veniamus virum d. qui postremo data opera nostram tractavit quaestionem: Rueckium dico („De M. Tulli Ciceronis ore. de domo sua ad pontifices, Monachii 1881) de quo non multis opus erit verbis, quum longe maior libelli eius pars versetur in singulis orationis de domo locis emendandis; multus autem est in refutandis coniecturis atque emendationibus quas proposuerat v. d. Lange (in libello „Spicilegium criticum in Cic. or. de domo 1880 — qui totam nostram ne verbo quidem tenus commemorat quaestionem). Praecipuum vero Rueckii mea sententia est meritum, quod multis allatis locis ostenderit (p. 12—37), nonnullorum vitiorum a Marklando Wolfioque reprehensorum culpam in librarios esse conferendam; id quod apparuit postquam codicis Parisini 7794 (ab Halmio in lucem protracti accurateque collati) lectiones publici sunt factae iuris. Multi enim loci corrupti et huius codicis ope et vero Gemblacensis, in integrum sunt restituti[2]). — In Marklando vero Wolfioque refutandis non admodum feliciter versatus esse mihi videtur v. d.; e. g. § 22 male suspensum infinitivum „gratulari" defendere studet (p. 50) allatis quinque locis ex.... Caesaris de bello Gallico![3])

1) Similia exhibet Rueckius p. 52.

2) Vid. Lange, l. l. p. 3. Cf. infra cap. II ann. 2.

3) Perversum hunc morem, defendendae dictionis nostrarum orationum collatis aliorum scriptorum verbis, instituit Gesnerus p. 282 (ubi versiculum quendam affert Horatii, vid. supra pag. 16); p. 275 (ad de har. resp. § 26), ubi textum traditum defendit allatis duobus locis e Silio et Seneca desumptis. Cuius rei apud Gesnerianos recentiores — ut imitatores magnorum virorum ad vitia praesertim eorum accedere solent (Cf. Ginguéné apud Moore, Life of Byron p. 198 b; Schöpenh. S. W. IV p. 62; cf. Hor. Ep. 19, 17: decipit exemplar vitiis imitabile!) — complura inveniri possunt exempla. Mihi autem persuasum est, unumquemque auctorem veterem ex se ipso explicari debere (cf. v. cl. v. Leeuwen, Enchir. dict. Ep. p. LXXI), praecipue autem si tot eius supersint scripta quot ad nos pervenerunt Ciceronis.

§ 30 et 63 absonam verborum repetitionem tueri conatur (p. 56) alio allato Caesaris quodam loco; § 102 textui patrocinatur tradito collatis locis quibusdam Livii et Caesaris — qui sciptor magnopere in deliciis esse videtur viro d. — Deinde vero in afferendis ex ipso Cicerone locis parallelis saepius doctiorem se praestat quam acutiorem: § 26 miram locutionem „ex ore impurissimo Sex. Clodii rem frumentariam esse ereptam" defendit (p. 57) coll. Phil. II 68 »tu illarum aedium dis penatibus os impurissimum ostendere?" V 20 „in me absentem orationem ex ore impurissimo evomuit." Quasi vero Wolfius haesisset in verborum coniunctione „os impurissimum", non vero in perversa metaphora: „rem frumentariam eripere ex ore impurissimo"!

Subsimilia autem exhibet p. 58 (de § 60); p. 61 et alibi.

Si denique transimus ad ipsam nostram aetatem, videmus, omnes fere hodiernos viros dd. in eam reccidisse opinionem quae valebat autequam Marklandus utilissimo suo conscripto libro primam de nostris orationibus moverat suspicionem: etenim, opinio hodie inter philologos tantum non est communis, omnes hasce orationes Ciceroni revera esse vindicandas, neque tam gravia esse ea quae contra earum γνησιότητα possint afferri, ut iure a summi abiudicentur oratoris nomine.

Sic Hofmann, Ausgew. Briefe von Cicero I[5] 1884 p. 77 et 82 orationem p. red. in Senatu tanquam vere laudat Ciceronianam.

Merguet, Lex. zu den Reden des Cicero omnes nostras orationes pro genuinis habet.

Mommsen, Röm. Gesch. III p. 308; Röm. Staatsrecht passim.

Teuffel, Röm. Lit. Gesch.[5] 1890 I p. 328. Cf. autem Cap. III § 5 h. l., cf. eiusdem Studien u. Charakteristiken 1871 p. 313 sq. („Cicero; Leben; Charakter") ubi nullam omnino nostrae quaestionis inicit mentionem.

Boissier, Cicéron et ses Amis[9] 1892 p. 14 (de loco ad Att. IV 1): „quoiqu'il ne s'adresse qu'au fidèle Atticus, on croit entendre un écho des harangues solennelles qu'il vient de prononcer au sénat et devant le peuple"; p. 64 et 223 or^{m}. de domo tanquam Ciceronianam affert.

Idem, la Relig. rom.[4] 1892 I 54 et 63; II 401 or^{m}. de har. resp. tanquam Ciceronianam laudat.

Fustel de Coulanges, la Cité Antique[4] 1893 p. 21; 29; 56 (ter); 67; 109; 113 orationem de domo pro genuina affert („pro domo" ut ipse scribit v. d.); p. 36; 113 or^{m}. de har. responsis, ut exhibet vir d.).

Laubmann passim in Annot. ad Cic. oratt. in Edit. Halmiana (Berol., Weidm.).

Schanz, Gesch. d. Röm. Litt. 1890 I[1] 214: „In neuerer Zeit ist man von dem Verdammungsurteil ziemlich allgemein zurückgekommen."

Denique pauca quaedam proferre velim verba v. cl. Huebner, quae leguntur in „Deutsche Rundschau" XXV (apr. 1899) p. 112: Jedes Wort über diese jetzt vergessene Controverse ist zu viel; kein Urteilsfähiger mehr zweifelt an der Echtheit aller jener Reden."

Quae inter viros dd. consensio tantum abest ut me deterreat quominus patrocinium suscipiam causae desertae relictaeque, ut e contrario tanquam stimulus mihi sit ut denuo intricatissimam hanc philologis propinem quaestionem, neque vero id instinctus reprehendenda quadam audacia vel etiam contumacia: penitus enim sentio quantum intersit inter meam quantulancunque eruditionem et amplissimam copiosissimam eorum virorum doctrinam, quibus hic ego obloquar; sed hanc unam ob causam quod firmam persuasionem, spurias esse has orationes, quam accurato atque diligenti mihi contraxissem studio cum harum ipsarum tum vero Ciceronis orationum, nullo modo potuissem abicere. Quum enim mihi viderentur et ipsae orationes per se spectatae pessimae esse notae (vid. Cap. III), et ea „testimonia" quae ex antiquitate ad nos pervenissent perexigui esse momenti (vid. Cap. IV), et denique argumentationes quas adhibuissent τῆς γνησιότητος defensores, longe aberrasse a scopo suo, quippe quae omnino non valuissent adversariorum refutare atque refellere crimina, operam me non perditurum arbitrabar si denuo totam quaestionem pertractarem iterumque ea proferrem argumenta — quibus pauca quaedam de meo addidi, quae facile a peritis iudicibus dinoscentur ab iis quae priores attulerant — quae favere viderentur Marklandi opinioni quae explosa iam putaretur atque conclamata.

Quum autem perbene intellegam, in quam difficili quamque intricata verser quaestione [1]), rei me satisfecisse putabo si:

1) Quas difficultates recte hisce verbis indicat v. d. Bähr, Gesch. d. Röm. Litter. II 1845 p. 276: „Indessen wird man sich aber auch das Gewagte, das insbesondre im Widerspruche mit den bestimmten äusseren Autoritäten des Alterthums, welche für die Aechtheit dieser Reden sprechen, liegt,

1°. verecundia ia quae hac in re me decere videatur suspicionem meam pronuntiaverim argumentisque probaverim;

2°. denuo virorum dd. aciem derexerim in hanc disquisitionem, quae — pace hoc sit dictum viri cl. Huebner — nondum ad finem perducta mihi quidem videatur.

---

sowie die grosse Unsicherheit und das Schwankende, das in den wider die Aechtheit der Reden in sprachlicher wie in sachlicher Hinsicht vorgebrachten Gründen liegt, keineswegs verhehlen dürfen," u. s. w.

CAPUT SECUNDUM.

Antequam transeam ad ipsa argumenta enumeranda quibus fretus de nostrarum orationum auctoritate dubitare quis possit, unum inserere velim caput, ut indicem atque demonstrem, longe aliam esse harum orationum formam atque speciem in recentioribus editionibus ac fuerit olim. Quum enim Wolfii aetate nondum in lucem essent protracti codices neque Parisinus 7794 (quem nostro tandem saeculo excussit Halmius) neque Gemblacensis [1]), quorum uterque longe iis praestat codicibus — magna ex parte „deterioribus" [2]) — qui soli Marklando Wolfioque erant noti, non est mirandum, illos viros dd. haud raro graviter vituperasse eos locos in quos — vera lectione ex optimis illis eruta codicibus — nulla iam iusta cadat reprehensio [3]).

1) Vid. Cap. I p. 20. Mediceum atque Vaticanum pessimae notae esse codices, testantur et alii et v. d. Muellerus in ed. Teubn. p. CXIX.

2) Vere autem ii deteriores, non eo sensu, quo saepius contumeliose hoc nomine induant harum rerum iudices periti eos libros manuscriptos in quibus optimae inveniantur lectiones. Qua de re adeatur v. cl. Hartman, Anal. Xenoph. I p. 56—59.

3) V. cl. Huebner in „Deutsche Rundschau" XXV (apr. 1899) p. 112:

Accedit quod permulti viri dd. inde a Stephano operam dederunt ut emendationibus atque coniecturis has quoque instruerent atque expolirent lucubrationes; quare perfectum est ut hodie in editione e. g. Muelleriana tanto legantur politiores atque elegantiores quam olim legerentur et in editionibus vel optimis, et in ipsis codicibus, et hercle — ut mihi quidem est persuasissimum — in ipso ipsius auctoris libro manuscripto, ut hic atque illic agnoscere vix liceat easdem omnino esse declamationes. Ut enim in omnibus scriptoribus Graecis atque Latinis quorum libri ad nos pervenerunt, ita in hisce orationibus innumeri et ante Marklandum et post illum magnae auctoritatis philologi [1]) summam adhibebant industriam ut locis hiulcis supplerent voces omissas, ut in vocum perperam adhibitarum locum substituerent alias quae melius quadrarent in sententiam, ut eam adderent interpunctionem quae planiorem redderet significationem, ut denique singulis locis nonnullis praefigerent cruces asteriscosve, qui monerent lectorem vitium ibi subesse [2]).

„Diese Ansichten (sc. Marklandi Wolfiique) beruhen ... theilweise .... auf falschen Lesungen des Textes." Id quod demonstravit Rueckius libelli sui pp. 12—37. Cf. Hoffmann, l. l. p. 9: „Nam etsi ipse [Wolfius] profitetur, sese magnopere elaborasse, ut contextum sibi constitueret purum atque integrum, tamen defuit praeclarus ille codex Parisinus, quo collato ab Halmio atque diligenter excusso cognitum est, accusatores saepissime librariorum vitia et maculas frequenti usu aspersas tanquam auctoris peccata vexasse."

1) Neque ii tantum viri dd. huic rei studebant, quibus harum orationum origo Tulliana pro certo constaret: immo ipse Marklandus ipseque Wolfius nonnunquam locis corruptis subveniebant manumque iis admovebant medicatricem (e. g. Marklandus de domo § 117; 131; Wolfius in Senatu § 4; de domo § 131; ad quir. § 5; de har. resp. § 41; Schütz, accusator is quoque (vid. cap. I p. 10) de har. resp. § 29 et alibi; de singulis hisce locis vid. infra), atque id eo eventu, ut eorum emendationes nonnullae in recentissimas quoque sint receptae editiones.

2) Magnam huic rei attulerunt utilitatem et alii viri dd. et apprime Halmius; Madvigius (Adv. Crit.); Cobetus (in Mnemos.); Ieep (progr. Wolfenbutt. 1862); Lange, Rueck (in libris Cap. I nominatis); H. A. Koch (progr. Part. 1868); Mommsen; Lehmann; Gertz; Spengel, Schmidt in Philol. III; XI; XX; XXIII; Rhein. Mus. XIII; Hermes V; Fleck. Ann. 1874 etc.; Muellerus in Editione Teubneriana.

Non autem sine iusta causa expectet quis, omnes locos ubi textus nobis sit traditus vel plane corruptus vel dubiae saltem lectionis, ab eo cui persuasum sit hasce orationes esse spurias atque subdititias, in suum converti usum atque avide arripi ut novam amplamque praebeant non solum dubitandi verum etiam condemnandi materiam [1]). Cui inde ab initio responsum velim, minime me esse eum, qui inurbana ac prorsus turpi hac disputandi utar ratione; pro certo enim mihi constare temporis iniquitatem librariorumque incuriam imprudentiamque pariter esse grassatam in hasce orationes ac in omnia alia quae usque in hunc diem manserint veterum monumenta. Quamobrem hac in re sequar Marklandi insigne exemplum, qui ipsis verbis manifeste profitetur — promisso autem semper et ubique stetit vir ill. — omnibus locis vel dubiis vel corruptis se stare a partibus auctoris [2]) quicunque ille sit.

Iamque ad singulos nonnullos transeamus locos recensendos. Sequor autem editiones Kayseri 1862 et Muelleri

1) Non autem ei indulgebo vitio quod summo iure in nonnullis viris dd. vituperat Drumannus, Gesch. Roms V. p. 473: „Abschreiber und Dolmetscher tragen die Schuld, wenn in Reden, die für ächt gelten, die Critik nachhelfen muss; bei den andren beweisen ihre Sünden, dass das Ganze von einem Rhetor stammt, und die untadelhaften Stellen bestätigen es, denn diese hat man aus den ächten verlornen oder aus den übrigen entlehnt, um mit mehr Sicherheit zu täuschen."

2) Markland p. 360: „Where there is any Variety in the Reading, I will not charge any thing to this Author, but will suppose him to be always in the right, tho' in reality, even under this head too, there are several places and circumstances that look very ill-favouredly against him."

1896, atque ita quidem ut prima hac serie (p. 28—36) eas pertractem emendationes, quas in contextum recepit vel Kayserus, vel Muellerus, vel uterque.

I. *Post Reditum in Senatu.*

§ 4 „lege .... quam meus inimicus promulgavit" Lambinus; olim „quum".

Ibid. „si cum hostes .... ego non revertissem" Wolfius; codd. „si aut hostes .... aut ego."

§ 13 extr. „Nam ille alter .... liberalitas"; in recentioribus edd. Lambini legitur egregia loci corruptissimi emendatio.

ἀντὶ τοῦ „vis consilii" ingeniose Mueller „iuris civilis prudentia."

§ 15 „isne quenquam, me quidem non" (sic edidit Kayser) Ieepii est emendatio loci conclamati; melius Mueller: „is nequaquam me quidem .... decepit." (Ieep: „decepit?"). Iam Lambinus et Graevius hic haeserant; pessime Wolfius: „is me quanquam me quidem non."

§ 21 „iam ceterorum officia [studia] vidistis" Kayser; „iam ceterorum officia <ac> studia Halm lenius.

§ 35 „qui si mihi quaestor [imperatori] fuisset, in filii loco fuisset, nunc certe erit in parentis [cum fuerit quaestor non imperii, sed doloris mei]" Garatonius violentissime quanquam non male quod ad sensum.

De hoc loco cf. Markl. p. 254 sqq., quem non refutat Gesner p. 241.

§ 36 „Sed etiam binorum in rem p. beneficiorum" Madvig, Adv. II 213; codd. divinorum.

§ 37 .... „vitae et mortis deposcere" Madvig, Adv. II 214; codd. deposceret.

II. *Post Reditum ad Quirites.*

§ 1 med. „id in me .... resideret Mueller; codd. deficeret; desaeviret Gesner p. 242 non male; defigerent Hotomannus; „sententia postulat „satiaret," aut „expleret", „aut tale quid" Graevius.

Ibid. „Italiamque universam memoria mei misericordiaque [desiderium] Halmius optime.

§ 3 „plus mihi nunc voluptatis afferunt quam tum in incolumitate adferebant" Halm; „tum incolumitatis" codd. sine sensu.

§ 4 „dici vix potest, ... quid voluptatis habeat" Ernesti pro „habet".

§ 6 „permulti enim tum Metelli [aut Metellarum liberi]" e. q. s. ex Parisino editiones recc.; vulgatam inepte tuetur Klotz (ut semper). Cf. in senatu § 37 „Metellarum filii."

§ 10 „<consule> altero consule referente" Madvig Adv. III 138; „altero <consule> consule referente" Mommsen, Halm, id quod voluit Kayserus quoque.

§ 13 „foedera reconciliationesque H. A. Koch; „foedera reconciliatione" codd.; f. <ac> reconciliationes Klotz, Madvig, alii.

§ 14 „dum ego absum" Halm; codd. cum ego absum.

§ 20 „conservasset" Manutius pro conservaret.

§ 21 „qui cum custodes rei p. esse deberent" Ernesti; codd. debuerunt, quam lectionem tuentur Klotz, Hoffmann.

§ 22 „male meritis quam optime [meritis]"; ultimam vocem omittunt 3 „deteriores", delevit Garatonius.

§ 23—25 Quaecunque h. l. loco possunt intellegi, debentur coniecturis atque emendationibus virorum dd. Ieep, Mommsen, Klotz, Koch, Madvig, Mueller aliorum.

III. *De Domo Sua.*

§ 1 „religionum ius" Halm; vel „religionibus .... interpretandis Lange p. 14 sq.; alii alia; codd. religionibus .... interpretando.

§ 5 „cedere coegisti" Lambinus pro „cedere curasti." Si violentis indulgere liceret coniecturis qualis est Langii p. 6 sq. (qui proponit: „domo et pratria [ne cum improbis boni ferro dimicarent] exturbasti" vel „expulisti") — quam lectionem summo iure improbat Rueckius p. 14 — elegantissimae fortasse aliquando evaderent miserrimae hae orationes!

§ 7 „eo venerim" K. Lehmann, Herm. 1880 p. 354, Madvig Adv. III 139 pro „eo venirem".

Ibid. „an ea res erat illa, de qua" Halm; nugantur codd. Vid. Mueller p. CXX.

§ 8 „qui statuunt .... ipsi<s> non venire <licere> Ieep; codd. „statuunt .... ipsi non venire", quod sensu cassum; Lange p. 15: „statuerunt .... ipsi non venire"; † ipsi non venirent Baiter.

Ibid. extr. „illi remanserunt" Mueller; senserunt codd.; timuerunt Halm ap. Rückium p. 15.

§ 9 „in senatu; denique eam" Cobet, Mnem. III p. 234, elegantissime pro „deinde". Nunc enim: „primum .... deinde .... denique".

§ 11 „propter aviditatem venditorum" Halm ap. Rueckium p. 15 sq.; varietatem codd.; „avaritiam" iam Graevius; ingeniosissime Madvig Adv. II 215: „pr. caritatem venditor e s miserant".

Ibid. „certe senatum aliquid consilii capere oportuit" Madvig, Em. Liv.[1] p. 82; Adv. II 215; „senatus .... potuit" codd. inepte.

§ 12 „et illud nativum et hoc oblatum malum" Iw. Mueller ap. Rueckium p. 16; cf. § 62; „hoc delictum malum" codd. sine sensu; „hoc a te fictum malum" Ieep; delicatum Koch; adiectum Madvig Adv. I 18. cf. Mueller p. CXXI.

§ 13 extr. „<iacta> ista funesta fax" Rueck p. 16.

§ 14 in. „videte nunc fuerintne partes meae [paene] praecipuae" Klotz; melius Lahmeyer, Philol. XX p. 504 „in ea re" pro paene.

§ 15 „non nulli .... illam rem ad ipsam rationem coniecturamque revocabant" Mueller; illam codd.; [illam] Ernesti; aliam Gesner, Rück p. 16; solam (= ipsam) Lange p. 18.

§ 18 „rem maximam fuisse <et> summi periculi" Mommsen; summique periculi Mueller.

§ 19 „quod Pompeio" Muller; cum codd.

§ 21 „atque in hoc solum inconstantiam redarguo tuam?" Nägelsbach; neque .... tuam. Halm.

§ 23 „bellum <cum> pacatissimis gentibus" Wesenbergius ad Tusc. disp. III p. 25; obloquitur Rueck p. 19 sq. cf. iam Marklandus p. 376; Gesnerus p. 251.

§ 39 „Infirmas igitur tu acta C. Caesaris?" Madvig, Adv. II 217; „infirma sunt igitur tua" codd. inepte.

§ 40 i. f. „videte hominis amentiam * * recc. edd. rectissime.

§ 43 in. „tam fueris, inquam, lege" Koch, Rh. Mus. XIII 284; „† tam iure quam lege" codd.; longe a Kochianae coniecturae distant elegantia lectiones Langii p. 13 („optimo iure, tam fueris, inquam"), vel Halmii apud Rueckium p. 23 („tam iure atque lege").

§ 44 „quaero enim quid sit aliud <nisi> proscribere" Mueller; [proscribere] Lange p. 10; de voce „ut" cf. Rueck p. 57.

Ibid. „ita enim re, etsi aliis verbis, tulit" Mommsen, ap. Langium p. 6; „fecit si" codd.

§ 46 „et eam legem putari?" Madvig Adv. II 217; putare codd.

§ 48 s. f. „aut praedem [socium] extra" e. q. s.; „praedem" Manutius pro „praedae"; „socium" ut glossema delevit Baiter.

§ 50 extr. „innocens ille vir" Mueller; bonis codd.; consiliariis Madvig; consularis codd.

Hominem <plenum> facinorum Mueller; facinorum et stuprorum <documentum> Baiter.

§ 61 extr. Lacunam indicant editores recentiores.

§ 62 „† Senatum consules vocabant"; loco desperato crucem appingunt hodierni editores. cf. Rueck p. 58 sq.; Müller p. CXXV.

§ 76 „illa vis non modo non propulsanda, sed etiam armanda fuisse videatur" Mueller; „emendanda" codd.; „invitanda" Mommsen; „excitanda" Halm ap. Rueckium p. 29.

Ibid. c. 29 „id feci, quod omnes boni censent immortalitati .... mandandum" Koch; „non negent" vulg.; concedent Halm; [non negent] Madvig Adv. II 221, egregie id quoque.

§ 78 i. f. adigebantur Halm; faciebant codd., Klotz (ut semper).

§ 80 in. „qui eius nomen <in aes> incideris" Ant. Augustinus; Halm ap. Rück p. 29.

Ibid. „quod facile potuit, <qui> propter .... pernoctasset" Baiter; „potuit .... pernoctans" vett. edd., contra codicum auctoritatem; <quum> propter etc. Klotz, Rück p. 29.

Ibid. s. f. (de hac huius § parte adeatur Rueck p. 59 sq.) „magistratuum nec rerum iudicata<rum auctoritas> nec" e. q. s. Madvig Adv. II 221; res tum iudicata codd.; res iam iudicata Halm.

§ 87 extr. „altero praetore quiescente" Mueller; „petente" codd. P, W; ducente, dicente, detinente alii codd.; patiente Manutius, Rueck p. 30; non contradicente Garatonius.

§ 91 „Qui in gerenda re [publica] putabatur fuisse segnior" Halm, in sequentibus addens „re": <re> gesta e. q. s.

Verba quae proxime praecedunt graviter sunt corrupta (vis * privati hominis); vid. permultae coniecturae ap. Muellerum p. CXXVII sq.

§ 93 s. f. „nisi crudelitas eius unius temporis" Mueller; ea codd.; mea Mommsen; et ea Madvig Adv. II 223; eaque Halm ap. Rueckium p. 32.

§ 98 „haec omnia subire .... atque ita <pati>, ut" Halm ap. Rück p. 32 sq.; „ita cum" codd.

§ 100 „non monumentum virtutis" Mueller, urbis codd.

Ibid. demigrandum <mihi> Halm.

§ 101 „et ab eodem <aedem> exstructam" Lambinus.

Ibid. „et quia illud" Spengel, Philol. XI 403; „et qui aliud" codd.

Ibid. „Sp. Cassii domus ob eandem causam <est> eversa" Baiter.

§ 107 pars prior post Halmii tandem Muellerique emendationes intellegi potest. Quae videantur in Muelleri editione.

Ibid. „funesta illa rogatione sua" Mueller; „una iusta" codd.; iniusta Ernesti; Rück p. 33; inusta Halm.

§ 117 „opus erat enim auctoritate" Marklandus p. 306; „posuerat enim auctoritatem" codd. — Emendatio palmaris.

§ 118 s. f. „non denique adulescentem quemquam <alium> Mueller.

§ 122 „si omnia sollemnibus verbis, veteribus et traditis institutis acta esse dicerem" Madvig; praeditus (pred.) codd.

§ 123 „si tribunus plebis verbis non minus priscis et aeque sollemnibus" Kayser; paene codd.

§ 125 „ad hominum <metum> timoremque" Halm.

§ 130 i. f. iudicium senatoriae dignitatis Madvig Adv. II 224; senatorum de dignitate codd.

§ 133 extr. „in patriae parricidio exsultare" Koch; cf. Rueck p. 36; et scelere codd.; Klotz (ut semper); excellere Baiter non optime.

§ 138 i. f. „quid dici, quid praeiri.... ius fuerit" Halm; praere P[1]; praecipere etc. alii codd.; praeberi Mommsen.

§ 141 s. f. „ab istius inflammato atque indomito furore" Halm; inito codd.

Ibid. „Si iste † metus furore instinctus" Kayser; metu <perterritus> Mueller; metu <territus> Koch; metu <exanimatus> Halm ap. Ruck p. 37; mentis furore Madvig Adv. III 141, quod proxime accedit ad vocem traditam.

§ 146 c. 57 extr. „urbis patriae usu velle esse privatum"; patriae Ieep, pro „partibus" (de qua voce vid. Marklandus p. 199: „This is either Stupidity, or the Writing and Reasoning of a Declaimer in Drink"; contra quem Gesnerus p. 268: „locum qui mihi videtur inter vehementiae oratoriae specimina referendus"!) vel „patribus";

„usu" Halm („visu" ipse Ieep).

IV. *De Haruspicum Responso.*

Titulus: „de haruspicum responso" Madvig ex

Asconio; de quaestione consuli possunt e. g. Lahmeyer p. 27 sq.; Hoffmann p. 7 sq.

§ 5 „nihil enim contra me fecit odio mei, sed odio severitatis, [odio dignitatis,] odio rei. p." Baiter (cum Parisino, Wolfenb.); Wolfius ad textum traditum haec annotat: „Ridete, patres conscr., quicquid est vobis cachinnorum". Male locum defendit Lahm. p. 43 sq.

§ 11 in. „sin scrupulus tenuissimus residere alicui videbitur" Mueller praeeunte Madvigio II 224 (aliquoi); codd. aliquis.

§ 16 „muniendam putarit" Halm; putaret codd.

§ 17 „Quem aiebant negare ferri me posse", ex Parisino hodie omnes; olim ferre posse (sine addito pronomine „se"). Vid. Hoffmann p. 9 ann. 7.

De loco cf. Wolf p. 331; Lahmeyer p. 41; forma „ferre" a Lahmeyero p. 34 defenditur coll. Tusc. II § 40 „ferre non posse clamabit" (quo loco omnes hodierni inser. <se>).

Ibid. „inimici contumeliis... respondere" Madvig; contumeliam codd.; <in> inimici contumeliam Baiter male.

§ 20 „Postiliones" Klotz; postulationes codd.

§ 21 „Quando aut quo scelere polluti?" Baiter; codd. quanto.

§ 22 „haud scio an vivere nobis atque.... queri <non> liceret" Muller. De loco vid. Hoffmann p. 11 et ea quae disputavi h. l. cap. I p. 13 sq.

§ 27 „severitatem [sacrificii] Ernestius.

§ 29 Lacunam subesse, ex Parisino tandem apparuit.

§ 36 extr. „et te ipsum tamen in periurii crimen ab eis", e. q. s. Madvig, Adv. II 225 sq.; „in periurium" (-rio W.) „et te ipsum inprime" codd.

§ 37 „quo.... ne imprudentia quidem <impune> possit intrare" Mommsen.

§ 49 in. „tum vero elatus <est> spe, posse se" e. q. s. Graevius; „est ratus" codd. — De formis verbi „esse" saepius in libris manuscriptis omissis adeatur Muellerus p. XXXIV.

§ 54 med. „aut universus interitus aut victoris dominatus ac regnum" Madvig; „aut" codd. („et" Lehmann).

§ 57 „deorum ignis, solia, mensas, abditos" e. q. s. Graevius; „sollemnes mensas" olim omnes.

Omnes igitur lectiones quas supra exhibui, in editiones receptae hodiernas, tanquam vere Ciceronianae atque integerrimae ibi iam leguntur.

At rei nondum satisfecisse arbitror eos viros dd., qui elegantiores venustioresque sic reddiderint declamationes nostras, detestandas olim atque omni ex parte abominandas: etenim, complures vel sic restant loci qui emendationem quam maxime desiderant. Quapropter ego, nescioqua permotus atque pellectus pietate erga ipsas hasce orationes, sollemni eas — antequam capite insequenti rogo eas imponam collectaque ossa capaci tradam urnae ubi procul ab hominum impio conserventur exigui cineres contactu — induere velim vestitu sepulchrali omnibusque vel pulcherrimis eas decorare ornamentis gemmisque, ut sic demum comptis iis instructisque ultima facere mihi liceat iusta, nulla iam malae conscientiae exanimato compunctione.

Ita autem progrediar, ut priore loco (sub **A**) egregias nonnullas exhibeam variorum virorum dd. emendationes, quae nondum in editiones sint receptae, ut deinde (sub **B**) paucis quibusdam meis ipsius indulgeam levissimis coniecturis.

A.

I. *Post Reditum in Senatu.*

§ 1 s. f. „qui patriam [, qua nihil potest esse iucundius]" Halm.

§ 5 in. „cum lucem ..... dispicere coepissetis" Spengel; codd. coepistis.

§ 13 „fluentibus buccis, blaesa voce et temulenta" Gertz; pressa codd.

§ 17 in. [sicut eras eo tempore] Garatonius.

§ 27 „quid? ut <eis> agerentur gratiae" Lambinus.

§ 33 legendum aut: „[in] hoc" (Kayser), aut „ii hoc" (Halm), quod longe praestat.

§ 36 „sed eam adaugebo" Heumannus; etiam codd.

II. *Post Reditum ad Quirites.*

§ 8 in. „fortunam: <nam> tanto in me" Halm.

§ 13 in. „hic quantum interfuit inter me et inimicos meos!" Madvig Adv. III 138; „tantum .... meos:" vulg.

§ 18 in. „His ego tot testimoniis" Halm; „en" vulg.

III. *De Domo Sua.*

§ 14 in. „fuerintne partes meae in ea re praecipue" Lahmeyer; paene codd.; vid. supra ad eundem locum.

§ 21 „qui negas esse verum quemquam ulli rei p. <parti> extra ordinem praefici?" Muellerus verecunde in annot. p. CXXII coll. Verr. I 2; 5; V 15; 18; Sest. 22; 49; Mil. 15; 40; Phil. V 5; 15; de republ. I 6; 10 etc.

§ 29 „aut ut invidiosis amicis non crederem" Lange p. 21, coll. ad Q. fr. I 4, 2; ad fam. XIV 1, 1; VII 2, 3; „insidiosis" vulg.

§ 81 c. 32 in. „si ne scriptum quidem usquam est

in ista ipsa rogatione" Guilielmus; Rück p. 30; cf. § 82 „ubi enim" e. q. s. —; „umquam" vulg.

§ 131 „ille in curia.... dedicabat: Wolfius; vel dedicavit: Klotzius; dedicari codd.; „dedicari, <signum Concordiae>", Nägelsbach.

IV. *De Haruspicum Responso.*

§ 7 „iudicii: concidit ille" Manutius; consedit vulg. — Vid. § 1 „concidit". Garatonius Manutii prob. coni[m].

§ 12 „C. Claudius rex sacrorum" Gesnerus p. 274; L. codd., id quod pugnat cum Suet., Tib. 2 (Claudii enim patricii Lucii praenomen abiecerant); vid. Markland p. 17 sq. et 337; — cf. quoque Hoffmann p. 8: „ut iam Gessnerus monet, littera L. facile corrumpi potuit ex C., si quidem illa lex reapse tam religiose observata est, ac non potius statuendum est: illis rei publicae iam ad finem ruentis temporibus licuisse plebeio quoque homini ascendere ad munus regis sacrificuli."

§ 20 „Quis est <nisi est> ex gigantibus illis" Lehmann, Herm. 1880 p. 568, prob. Muellero.

§ 25 „libero aditu in alteram scenam immissum" Madvig, vel „libera vi" idem, Adv. III 142 n. 2; II 225; codd. liberatum.

§ 29 [pecunia Brogitarus per te appellatus] Schütz; cf. supra ad eundem locum. Ieep: „per te appellatus alter. Eum putabo" e. q. s.

§ 39 „insania matricidarum" Ieep; senium codd.

§ 41 „ipse L. Saturninus ita fuit effrenatus et plane demens" e. q. s. Wolfius; codd. paene (de qua voce vid. cap. III § 4).

§ 48 „in quibus legibus inerat curiata illa lex, quae totum

eius tribunatum continebat, quod caecus amentia non videbat" Madvig Adv. III 142; quam vulg.

§ 59 in. „Quis minus.... quam iste" Lambinus; ille codd. De toto loco vid. Markl. p. 226: Gesner p. 283 sqq.; Wolf p. 385; Lahmeyer p. 41 sq.

§ 62 „cum quibusdam invisis metuendisque rebus" Mommsen; „multis" codd.; Marklando (p. 357 sq.) iudice „multis" h. l. valet „aliis multis"; „quibusdam <monstris> mutis metuendisque [rebus]" Madvig Adv. III 142, violentius quam probabilius; „quibusdam monstris met. q. rebus" Mueller in annot. crit.

B.

„Equidem sic censeo" (sunt verba v. cl. Hartman, Anal. Xen. I p. 277 sq.).... „ea demum tamquam inutilia additamenta esse proscribenda, quae et perspicua sint, et scriptoris orationem ineptiorem languidioremve reddant; et ne hoc quidem satis firmum esse indicium, nisi simul appareat, quo consilio olim in margine fuerint annotata, quoque casu postea in textum irrepserint. Quam legem qui fideliter observarit, haud inutilem scriptori operam navare poterit."

I. *Post Reditum in Senatu.*

§ 10 in. „Sed fuerunt ei [consules]"; cf. § 9 consul — consulari — consulari — consulem — consul — consulibus — consul.

Removeatur cacophaton.

§ 12 „et cum vos vestem mutandam censuissetis cunctique mutassetis atque idem omnes boni iam ante fecissent, ille unguentis oblitus, cum toga praetexta (cf. in Pis. § 25), [quam omnes praetores aedilesque tum abiecerant] inrisit squalorem vestrum." — Non hercle ut verba inclusa dele-

rem permovebar a M a r k l a n d o p. 246 qui per ludibrium statuit: „he might have added the Quaestors too"; hunc enim refutavit G e s n e r u s p. 237. — Tota sententia elumbis, putida. At nonnihil ei accedit roboris, mea adhibita medela.

II. *Post Reditum ad Quirites.*

§ 10 in. „Tribuniciis [superiores] illi rogationibus" e. q. s. coll. § 9 „superiores". — Vox male abundat.

III. *De Domo Sua.*

§ 42 s. f. „[quod de me civi ita de re p. meritum .... iure egisse dicebant]". Librarii praecedentis sententiae epitomen ineptam inclusi.

§ 78 „quo vertendi [hoc est mutandi,] soli causa venerat."

Delevi glossema.

§ 105 „Aspicite, pontifices, hominem religiosum, et, si vobis videtur, [quod est bonorum pontificum,] monete eum" e. q. s.

Insulsum uncinis circumsaepsi additamentum.

§ 109 c. 42 in. „Quo magis est istius furor ab auribus vestris repellendus, qui quae maiores nostri religionibus tuta nobis et sancta esse voluerunt, ea [iste] non solum contra religionem labefactavit, sed etiam ipsius religionis nomine evertit".

Pronomen „iste" sententiam impedit.

Fortasse gravius latet vitium.

IV. *De Haruspicum Responso.*

§ 2 „Potest gravioribus a me verbis volnerari quam est statim [in facto ipso] a gravissimo viro, P. Servilio, confectus ac trucidatus?"

Expunxi interpretamentum.

§ 14 „De hoc igitur loco [sacro] potissimum videntur

haruspices dicere, qui locus solus ex privatis locis omnibus hoc praecipue iuris habet, ut ab ipsis, qui sacris praesunt, sacer non esse iudicatus sit?"

Delevi adiectivum quod obscurat sensum. (Olim iam G a r a t o n i u s, ut sero vidi). Absurdam esse vocem, observ. Wolfius. — L a h m e y e r u s p. 44 sq.: „Sacro valet i. q. tanquam sacro; quamquam minime opus est adiecta illa voce". Perversissima haec verborum traditorum defensio subsimilis est ei rationi qua p. 44 tueri conatur vocem a c (§ 12): „apparet a c ferme idem significare quod v e l."

Cf. Cap. I p. 14.

§ 37 med. „quod quidem sacrificium ante P. Clodium nemo omni memoria violavit, nemo umquam adiit, [nemo neglexit,] nemo vir aspicere non horruit."

Voces „nemo neglexit" perverse collocantur inter adeundi aspiciendi verba. Aut delendae, aut collocandae post „nemo .... violavit".

§ 39 „tu, cum .... servos concitas, cum sacra ludosque conturbas, cum uxorem sororemque non discernis, [cum quod ineas cubile nod sentis,] tum baccharis" e. q. s.

Inclusi additamentum ridiculum ineptum.

§ 42 „Hic vero, de quo ego [ipse] tam multa nunc dico" e. q. s. — Pronomen carere sensu, vidit M a r k l a n d p. 335: „There does not appear any manner of occasion for the Emphatical word i p s e in that place". Audiamus defensorem, L a h m e y e r p. 49: „ut iam iure monuit Klotzius, idem significat quod ubivis, oppositionem, et hoc quidem loco eam, quae inter eos, qui tum rempublicam gubernabant, interque Ciceronem intercedat." Quae verba explicet qui possit, ego non expedio nec talibus de sententia depellor.

CAPUT TERTIUM.

Hoc capite argumenta quaedam cum lectoribus communicabo, quibus fretus non sine iusta causa (ut mihi quidem videtur) dubitare quis possit de nostrarum orationum origine Tulliana. Antequam autem transeam ad locos nonnullos percensendos, commonefactum velim lectorem, mea sententia non tantum esse pretium earum argumentationum quae versentur in singulis enuntiatis, sententiis vocabulisque pertractandis quantum vulgo existimetur. Persuasum enim mihi est, nunquam talibus locorum vitiosorum enumerationibus vel accuratissimis prolixissimisque rem posse provehi ultra illos terminos qui contineant id quod sit probabile vel veri simile, nequaquam vero eas valere ut constituant opinionem firmam omnique ex parte exploratam, nisi tamquam fundamentum iis succreverit atque accesserit sensus quidam interior qui tanquam ex altiore suggestu hasce diiudicet res. Qua in re pro me faciat verba v. cl. Hartman qui in capite „de Agesilao libello" (Anal. Xen. I p. 247 sqq.) et alia exhibet quae huc pertineant et haec:

„Semel iterumque in praecedentibus, ubi de aliquo loco iudicium ferebam eiusque sermonem enuntiationemque vel lau-

dabam vel reprehendebam, non argumentis solidis firmisque eam laudem reprehensionemve defendere sum conatus, sed quid eleganter, quid inepte dictum esset, sentiri magis quam certo demonstrari posse significavi. Idem plerumque fere dicendum est illi, qui aliquem librum non ab eo conscriptum esse, cuius nomen gerat, contendit. Argumenta enim is afferet aut pauca aut multa, sed tum demum iis colligendis proponendisque operam dabit, ubi aures pulchrique sensus eum admonuerunt subdititium esse librum, de quo agitur . . . . Credo enim plerosque idoneos de eiusmodi rebus iudices, ubi in perlegendis Xenophontis libris ad Agesilaum pervenerint, cum quadam indignatione istum libellum e manibus abiecisse, secumque ita esse locutos: „quis non sentit eiusmodi ineptias Xenophonte indignas esse?"" e. q. s. [1]).

Etenim, ut „est ineptum, argumentis demonstrare velle quam egregio aliquis scriptor sermone utatur" [2]), quippe quod sentiri tantum possit, non vero disci, ita irritus fere mea quidem opinione cadat necesse est labor eius viri d., qui studeat multis allatis exemplis singulisque vitiis tanquam ad oculos demonstare lectoribus, invenusto inele-

---

1) In annotatione mentionem inicere libet iudicii viri eruditissimi Vosmaer (Amazone p. 169): „Men moet al ruiken of iets echt is of niet." — Quivis autem intellegit opinor, toto coelo hanc critices exercendae rationem distare ab inconsulta temeritate virorum nonnullorum dd., quorum tanquam exemplum hic afferre libet virum d. Gruppe, qui postquam magna voce professus erat (in libro notiss. „Ariadne") se „mit aller Sicherheit einer unmittelbaren innern Anschauung" perspexisse Rhesi tragoediam esse Sophoclis, Iphigeniam Agathonis, fabulam autem τῶν Ἕπτα olim mediam fuisse partem trilogiae quae ad Oedipum pertineret, misere vapulavit manifesteque convictus est gravissimorum errorum in ipsis istis rebus, quas certissimo nempe sensu illo ductus interiore, intellexisse sibi esset visus. Vid. v. cl. v. Leeuwen, Comm. de Ai. Soph. auth. et integr. p. 9.

2) Sunt verba v. cl. Hartman, de M. Tullio Cicerone 1893 p. 25.

gantique unum alterumve esse compositum librum antiquum. Quod autem ad ipsum attinet Tullium, satius erit hic quoque loquentem inducere v. cl., quem saepius iam in hac mea laudavi disputatione: „Ciceronem" — sic enim est apud v. cl. H a r t m a n, de M. Tullio Cicerone p. 11 — „Ciceronem qui satis diu triverit, is pro certo statuere potest: „Hoc Ciceronis est, hoc non est; hoc sincerum, hoc mutilum." "

Quibus de rebus quominus pluribus disseram prohibent huiusce libelli angustiae; neque opus opinor ut fusius atque amplius hic disputem de re de qua (nisi egregie fallor) inter omnes nostrates dumtaxat constat; transire igitur licet ad enumerationem eorum argumentorum quae sensus ille interior mihi subministrarit [1]). Enumerationem dico: non enim in animo est ut singulis locis quos sim allaturus universas subiungam variorum virorum dd. disputationes; quum e contrario rei me satisfecisse arbitrabor si vitia tanquam digito indicaverim, quae ipsa pro se multo loquentur disertius quam virorum eruditorum commentationes vel doctissimae.

§ 1.

Ac primum quidem indicare velim locos nonnullos ex quatuor nostris orr., qui compositi sunt stilo tam languido tamque enervato ut persuadere mihi nulla possim ratione, a Tullio revera eos esse profectos. Qualium enuntiationum quum nonnullas hic excribo, rogo lectorem benevolum ut accurate ea perlegat una cum toto in quo occurrant con-

1) De industria hisce utor verbis, quae primo aspectu subobscura vel etiam perversa cuipiam videri possunt; planiora autem fiant oportet collustrata clarissimo lumine capitis pulcherrimi S c h o p e n h a u e r, Welt als Wille u. Vorstellung II cap. 19.

textu, secumque diligenter pensitet. Ante omnia vero sex hic exhibebo sententias, quarum exitus debilis atque elumbis omnino non respondet magno spiritui quem in initio sumpserat auctor; sunt autem:

a. In senatu § 2: „quod si parentes carissimos habere debemus, quod ab eis nobis vita, patrimonium, libertas, civitas tradita est, si deos imm.es, quorum beneficio et haec tenuimus et ceteris rebus aucti sumus.... ut cum multa vobis, magna populo Romano, innumerabilia parentibus, omnia dis immortalibus debeamus, h a e c a n t e a s i n g u l a p e r i l l o s h a b u e r i m u s, n u n c u n i v e r s a p e r v o s r e c u p e r a r i m u s."

Nonne musculum hic mons parere videtur ridiculum admodum? Quid quod ipsa gradatio in fine sententiae facta est verbis ineptissimis.

b. Alium inspiciamus locum, § 4: „Atque illo ipso tamen anno, cum ego cessissem, princeps autem civitatis non legum praesidio, sed parietum vitam suam tueretur, resp. sine consulibus esset, neque solum parentibus perpetuis, verum etiam tutoribus annuis esset orbata, sententias dicere prohiberemini, caput meae proscriptionis recitaretur, n u m q u a m d u b i t a s t i s m e a m s a l u t e m c u m c o m m u n i s a l u t e c o n i u n g e r e."

Praeter exilem huius sententiae exitum observatum velim, male ludi antitheto perpetuis et annuis, perinde copulatis quasi tutores aliquid maius essent parentibus (W o l f).

c. Ad Quir. § 1 „Quod precatus a Iove.... maxime laetor, Quirites." — Hanc sententiam primam sibi movisse suspicionem confitetur M a r k l a n d u s p. 260.

Notetur mira verborum coniunctio „eius devotionis me esse convictum" (Markl. p. 361), quam male defendit Gesner p. 242.

d. Ibid. § 13: „Hic quantum" (sic enim legendum cum M a d v i g i o Adv. III 138) „interfuit inter me et inimicos meos! ego, cum homines.... armis decertare pro salute nolui quod et vincere et vinci luctuosum reip. fore putavi." Ubi recte annotat W o l f i u s: „post affectatam crebritatem sententiarum mirifice offendit haec exilitas, quae minime animum explet suspensi auditoris."

e. Subsimili ratione *de har. resp.* § 37: „haruspices haec loquuntur an patrii penatesque dii? multi enim sunt, credo, in quos huius maleficii suspicio cadat. Q u i s p r a e t e r h u n c u n u m?" omnis vis lumenque omne quod in priore huius enuntiati parte, praesertim autem in verbo „c r e d o" inerat, misere exstinguitur atque deletur addita sententiuncula „Quis praeter hunc unum?" (Hunc locum benigne mecum communicavit v. cl. H a r t m a n).

f. Ibid. § 44 „Nisi eum mulieres exornatum ita deprehendissent, nisi ex eo loco, quo eum adire fas non fuerat, ancillarum beneficio emissus esset, populari homine populus Romanus, r e s p u b l i c a c i v e t a l i c a r e r e t." — Rectissime elegantissime omnia procedunt usque ad verba „resp. e. q. s."; ultima autem verba totam strangulant atque enecant sententiam.

P. r. i n S e n a t u § 8 „ut vero iniit magistratum, n o n d i c a m q u i d e g i t p r i u s, sed quid omnino egit aliud nisi ut me conservato vestram in posterum dignitatem auctoritatemque sanciret?" Verba „non dicam quid egit prius" omnem corrumpunt sententiae vim, neque tamen librariis imputanda esse, ex totius patet enuntiati structura.

§ 9 „di immortales, quantum mihi beneficium dedisse videmini, quod hoc anno P. Lentulus consul est! quanto maius dedissetis, si superiore anno fuisset!" Ipse declamator

mihi videtur sensisse quam exilia haec essent, ideoque addidisse verbum vere Tullianum „videmini" sub quo tamquam scuto lateret.

§ 12 Mirum praebet garrulitatis ineptissimae specimen: „et cum vos vestem mutandam censuissetis cunctique mutassetis atque idem omnes boni iam ante fecissent, ille unguentis oblitus, cum toga praetexta, quam omnes praetores aedilesque tum abiecerant".... cf. Markl. p. 246.

§ 25 „P. Servilius, vir cum clarissimus t u m v e r o o p t i m u s mihique amicissimus".

§ 30 „Vobis vero, patres conscripti, singulis et egi (?) et agam gratias. Universis egi initio quantum potui" (K l o t z: „Die Worte sind so verständlich, dass man sich zwingen muss, si nicht zu verstehen", rectissime): „satis ornate agere nullo modo possum. Et quamquam sunt in me praecipua merita multorum, quae silere nullo modo possum, tamen huius temporis ac timoris mei" (notetur chiasmus, coniunctus cum alliteratione, declamatore dignissimus) „non est conari commemorare beneficia in me singulorum; nam difficile est non aliquem, nefas quemquam praeterire." -- Notetur garrulitas sibi obloquens.

P. r. a d Q u i r i t e s § 3 „Nihil cuiquam fuit umquam iucundius quam mihi meus frater: non tam id sentiebam, cum fruebar, quam tum, cum carebam, et p o s t e a q u a m" (notetur coniunctio ex vero Cicerone docte hic inserta) „v o s m e i l l i e t m i h i e u m r e d d i d i s t i s."

§ 16 „Quorum p r i n c e p s ad cohortandos vos et ad rogandos fuit Cn. Pompeius, vir omnium, qui sunt, fuerunt, erunt, virtute, sapientia, gloria p r i n c e p s."

D e d o m o S u a § 2 „Vobis hodierno die constituendum est utrum posthac amentis ac perditos magistratus improborum ac sceleratorum civium praesidio nudare an

etiam deorum immortalium religione armare malitis."

§ 6 „Veni non solum sine ullis copiis ac manu, verum etiam cum paucis amicis".

Universa § 17 pessime enuntiata mihi videtur.

§ 27 verba „laudandus essem si eius dignitati suffragatus viderer" imperite dicta videbantur Wolfio. Non magni autem sunt momenti ea quae contra Wolfium affert Muellerus p. CXXIII. Tacet autem Klotzius.

§ 32 „Intellego, pontifices, me plura extra causam dixisse quam aut opinio tulerit aut voluntas mea, sed cum me purgatum vobis esse cuperem, tum etiam vestra in me attente audiendo benignitas provexit orationem meam". Cf. Markl. p. 286; tacet Klotzius.

§ 35 „Nisi forte.... approbaverunt". — Nisi fallor, pro ironia hanc sententiam lectori venditare voluit declamator; at quam turpis ironia, quam rustica, quam crassa atque inurbana!

§ 141 Notetur sententia grandisona atque sublimis admodum: „Magna vis est cum in deorum immortalium numine tum vero in ipsa re publica".

Septem locos qui sequuntur a se notatos benigne mihi indicavit v. cl. Hartman; sunt autem:

§ 105 „Quoniam ille, qui nihil viderat sciens quod nefas esset, lumina amisit, istius, qui non solum aspectu, sed etiam incesto flagitio et stupro caerimonias polluit, poena omnis oculorum ad caecitatem mentis est conversa." — Ipsius auctoris, non librariorum, vitium tollere mihi videtur Ieepius coniciens: „Ab oculorum."

§ 114 Insulsissima ineptissima sunt verba: „Venio nunc ad patrem."

§ 128 „Sed quia consecrabantur.... fieri vetuit."

§ 134 „Viderat ille Murenam, vitricum suum, consulem designatum, ad me consulem cum Allobrogibus communis exitii indicia adferre."

Universam § 139 notavit v. cl. Hartman.

§ 140 „Etiamsi nemo umquam.... nefarie consecraret."

Totam § 145 reprehendit v. cl. Hartman.

De haruspicum Responso. § 14 „de hoc igitur loco sacro.... iudicatus sit?" Contorte et pueriliter haec enuntiata sunt. Locum excripsi cap. II p. 40. Male defendit locum Klotzius: „ein recht passender Sarkasmus".

§ 17 „Vidi enim.... non potuisset."

§ 19 „etenim quis est tam vaecors" e. q. s. usque ad paragraphi finem, merae sunt nugae. — Omnia quae hic leguntur, desumpta sunt — nullo tamen adhibito sano iudicio — ex oratione pro Mil. § 84 et ex libris de Deorum Nat. (II 4; 93 sq.).

§ 20 „Qua re ne plura de re minime loquar dubia adhibete animos et mentes vestras, non solum aures, ad haruspicum vocem admovete."

ad § 24 haec verba „qui uni ludi.... declaretur" rectissime haec annotat Wolfius: „Notabilis animadversio quasi ex grammatici dictatis excepta."

§ 25 „Atque in apium fortasse examine nos ex Etruscorum scriptis haruspices, ut a servitio caveremus, monerent." Quamquam ineptissime additur adverbium „fortasse", tamen multo etiam ineptior esset sententia, omissa illa voce.

Sectionis 33 (cap. 15) si ultima fuissent verba „tollam altius tectum" rectissime omnia se haberent. Nunc vero, additis loquacibus nugis „non ut ego te despiciam, sed tu ne aspicias urbem eam quam delere voluisti", omnis interit sententiae venustas atque elegantia.

§ 35 Male inter se opponuntur „secures" et „nomen populi Romani".

§ 39 „Nam corporis quidem nostri infirmitas multos subit casus per se; denique ipsum corpus tenuissima de causa saepe conficitur: deorum tela in impiorum mentibus figuntur." — Quamquam bene intellego Marklandum nimio ingeniose ludendi amore hoc saltem loco in iniquum esse abreptum iudicium quum sic iocetur (p. 352): „So that Man will consist of Three parts, Infirmity, Body, and Soul," tamen mihi quoque imperitissime tres hae notiones inter se opponi videntur.

§ 2.

In omnibus hisce orationibus haud paucae occurrunt absonae eiusdem vocis eorundemve vocabulorum iterationes; non raro pessima offendunt aurem cacophata ac tautologiae intolerabiles; cuius rei nonnulla hic afferam exempla.

in Senatu § 9 consul — consulari — consulari — consulem — consul — consulibus — consul — consules.

§ 31 mutatione vestis — mutare vestem — veste mutata.

ad Quir. § 2—4: voluptate — voluptati — voluptatis — voluptatis — voluptatis.

§ 16 princeps — princeps.

§ 9 superiores — superiores.

de domo § 85 civem — civis — civem — civem — civem.

de har. resp. § 2 deinde respexit.... aspexit.

§ 3 rationem — ratio.

§ 8 sq. contionem — contionis — contione — contionatus — contio — contione — contio — contione.

§ 11 iudiciis omnibus liberata in hac urbe sola est — sola in hac urbe.... omnibus iudiciis liberata est.

§ 15 munitam — munita.

§ 21 observatis — servata. „Omnia sollemnia ac iusta ludorum omnibus rebus observatis summa cum caerimonia esse servata"; nonne balbutientis haec sunt verba?

§ 39 „a dis quidem immortalibus quae potest homini maior esse poena" e. q. s.; graviter offendit vox „homini" iterum collocata post longam brevium sententiarum seriem ubi non sine vi atque emphasi septies adhibebatur.

§ 46 hominis — hominem — hominis — hominis — hominis.

Sciolum deprehendere mihi videor etiam ad quir. § 21: „quoniam me quattuor omnino hominum genera violarunt, unum.... alterum.... tertium.... quartum."

Iamque adversarium audire mihi videor his fere mihi obloquentem: „Quid? itane te pauca istiusmodi cacophata occaecaverunt, ut omnino non animadverteris permultas stili elegantissimi vereque Ciceroniani enuntiationisque venustissimae emendatissimaeque in ipsis hisce orationibus inesse indicia atque exempla? Num te fefellit ingens numerus παρηχήσεων pulcherrimarum, suavissimarum alliterationum annominationumque quibus tantum non abundent hi libri?" Cui respondere velim, non hoc me fefellisse: non me latuisse locos quales sint in Senatu § 7 cum *f*erro et *f*acibus; *f*ascis *f*ractos; *m*etu *m*ortis; § 9 *p*erenne ac *p*roprium manere *p*otuisset; ad Quir. § 14 *p*rivati *p*arietum se *p*raesidio; cum *f*erro et *f*acibus; *f*asces *f*rangerentur; de har. resp. § 4 *f*uriis et *f*acibus; § 6 vinci-vinciri; § 7 impetum impeditus facit; § 23 pro festis paene funesti; *lu*dos ad *lu*ctum conferre; *lu*dos esse pol*lu*tos; § 24 ut eos *lu*dos haec *lu*es impura pol*lu*eret etc., — nihil vero talium locorum computationibus effici: tantum enim abesse ut demonstrent nostras orationes Ciceroni revera esse vindicandas cui nempe huiusmodi flosculi sint in deliciis, ut e contrario et hi loci et alii quales sunt de har. resp.

§ 2 esse videantur; § 6 esse videtur, § 13 ita est enim; § 18 mihi crede; § 47 quae graviter equidem, sed aliquanto levius ferebam; § 48 postea quam; § 1, 3, 7, 17 hesterno die, etc. etc., ubi verborum occurrant coniunctiones vere Ciceronianae, mihi sint indicio, non tam fuisse ineptum auctorem nostrum, ut scripturus declamationes Ciceronianas, ipsius Ciceronis neglegeret studium.

Eodem autem iure, quo adversarii ex eiusmodi elegantiarum frequentia constituunt, Ciceroni esse tribuendas nostras orationes, contendere quis posset, Declamationem „antequam iret in exilium" ipsi esse imputandam Tullio; quid enim? nonne ibi haec occurrunt dulcissima lumina: § 9 *liber*avi *liber*osque; ad *c*aedem et *c*ruorem; *s*pes *s*alutis; *p*ublice *p*rovidenti; § 11 *n*obilitate *n*ixi; propugnare — oppugnare; § 12 vim ac *v*iolentiam; *s*ita *s*alus; § 14 *tut*am ac *t*ranquillam for*t*unam *t*rahere*t*is; § 18 *f*regi *f*urorem; § 19 *m*eam *m*utam *f*ugam *f*erre; § 20 consideratis *c*aedesque *c*ivium; § 21 *v*im *v*olunt; § 22 *m*ors *m*iseranda; § 23 *p*rogredi *p*atiamini; § 24 *f*unestam *f*acem (bis); § 24 intueri — tueri etc. etc.? Nihil igitur huic adversariorum tribuendum argumento, quo tamen serio sunt usi e. g. Lahmeyerus p. 54; Hoffmannus p. 19 sq.

Numeri causa hic addendum videtur, in eadem ista „antequam" etc. declamatione et alia occurrere vitia quae in nostris quoque deprehendantur orationibus (quae suo loco indicabo) et ipsas in ea abundare ineptas eiusdem vocabuli repetitiones quas hac paragrapho in orationibus „post reditum" vituperavi; legimus enim e. g.:

„Antequam iret in exil." § 9: praeclusus — praeclusa (cf. § 10 interclusum — § 15 praecluderetur); § 15 calamitatem — calamitatem; § 16 incommodum — incommodum; § 24 funestam facem reppuli a templis — funestam facem reppulit a templis; § 24 a vestris reppulit templis — a vestris reppulit templis; § 25 divinam — divinum; § 27 potestas — potestatem.

Ohe! iam satis est!

§ 3.

Haud paucis locis voces occurrunt vel formulae aut perperam adhibitae aut Latinitatis suspectae. Quarum quum pars non exigua efficiatur iis locutionibus quae vocentur ἅπαξ εἰρημένα, antequam veniam ad propositum, commonefactum velim lectorem, non me esse eum, qui statim ubi vox quaedam sese offerat quae non nisi uno loco apud scriptorem nostrum fiat obviam, falsarium se deprehendisse clamitet. Ex animi enim sententia prudentissimis me adiungo Gesneri hisce verbis (p. 278): „Sed annon licuit etiam Ciceroni aliquid dicere, quod nec ipse alias dixerat? Quod alias hodie non legitur? Ad quam pauperiem redigetur, si ita agimus, Latina oratio?" Quin, me iudice, tum demum recte huiuscemodi formulae adhibentur ab iis qui νοθείας scriptum quoddam arguere volunt, si ipsae istae formulae inepte sint compositae vel ita ut a sincera abhorrere videantur Latinitate, „nam per se sola" — ut utar verbis Lahmeyeri p. 23, 1, — „nullo alio momento accedente, ἅπαξ λεγόμενα nihil prorsus efficere, consentaneum est." cf. quoque Hoffmann p. 10.

I. *In senatu.*

§ 1 „Cumulate gratias agere" hoc tantum legitur loco. Cumulate plana facere Verr. V 165; cumulate persolvere praemia Phil. XIV 35. — Mira verborum coniunctio.

Ibid. „Quaeso obtestorque" sine „vos"; nusquam alibi obviam; non librariorum errore omissum esse pronomen apparet ex Mamertini loco quem attuli cap. IV.

Ibid. „promerita" (etiam ad Quir. § 8); semper et ubique in aliis orationibus „merita". Male vocem defendit Klotz. — Verbum „promonendi" occurrit pro Mur. 70; antequam iret in exil. § 6.

Ibid. „orando"; semper alias valet i. q. „smeeken", „verzoeken"; nostro tantum loco est i. q. „dicendo". — Graevius et Garatonius coni. „ornando", male opinor.

§ 11 „parentibus — tutoribus" ita inter se opponuntur, quasi tutores essent aliquid maius quam parentes.

Ibid. „interfectores reipublicae" (cf. § 18 „occidisse rem p."); eiusdem farinae metaphorae vitiosae vituperantur ab ipso Cicerone de Orat. III 41 § 163 sqq.

cf. quae annotavi ad de domo § 124.

§ 5 ut corpus abesset meum, dignitas iam in patriam revertisset. — Ridicule inter se opponuntur corpus et dignitas; praeterea autem offendit dignitas revertens in patriam.

§ 7 pro „excessisset" summo iure Wolfius postulabat „discessisset" vel „cessisset".

Ibid. „reliqui fuerunt quos neque terror.... a mea salute depellerent." Nescio an non Latina haec sit verborum structura.

§ 10 „intueri" h. l. id valere videtur quod nostrum „overzien"; quo sensu nusquam quod equidem sciam, in genuino obviam Cicerone. Aliquatenus comparari potest Sest. 1 „uno aspectu intueri potestis" (permulta autem ex Sestiana imitando expressisse nostrum, infra apparebit § 5 huius cap.). Recte adhibetur verbum de domo § 101.

§ 17 „idemque tu clementia ac misericordia singulari, cum ego una cum re p. non tribunicio, sed consulari ictu concidissem, tanto scelere tantaque intemperantia fuisti, ut ne unam quidem horam interesse patereris inter meam

pestem et tuam praedam, saltem tum conticisceret illa lamentatio et gemitus urbis."

Horrida (an vitiosa?) verborum structura.

§ 18 Num Latine sic loqui licet: „Vacuo non modo a bonis, sed etiam a liberis atque inani foro?"

§ 19 extr. „Qui primus post meum discessum metum bonis, spem audacibus, timorem huic ordini, servitutem depulit civitati." Depellendi verbum nusquam alias occurrit cum acc. obiecti et cum dativo eius rei de (vel a) qua quis pellitur.

Recte se habet verbum pro Tull. 39; Caec. 88; Sest. 43; 49; Phil. III 8; de domo § 63; 144 (cum acc. et praepos. *a*: aliquid ab aliqua re);

recte de har. resp. § 58 (aliquem aliqua re);

recte de domo § 95 („depellendi criminis causa"); ut pro Cael. 31; de domo § 15 (depulso metu) (depulsis tuis copiis);

eiusdem denique huius verbi vitiosa occurrit constructio in declam. Antequam iret i. ex. § 14: „depulit *ad* calamitatem".

§ 23 „Amicitias igni perspectas," pro „spectatas". In errorem nostrum induxisse videntur loci quales sunt Flacc. 2 „posteaquam L. Flacci amor in patriam perspectus esset"; Cluent. 78 „huius Staieni persona populo iam nota atque perspecta ab nulla turpi suspitione abhorrebat"; Verr. V 177 „reliquum iudicium iam non de mea fide, quae perspecta est, nec de istius vita, quae damnata est, sed de iudicibus est"; cf. de Off. I 149 „eos autem, quorum vita perspecta in rebus honestis atque magnis est."

Recte adhibetur § 25: „Q. Metellus.... perspecta vestra voluntate" e. q. s.; recte quoque ad Quir. § 6 „spectata aetate filius"; ibid. § 5 spectatum. Praeterea cf. v. c. Ov. Fast. IV 37; Met. V 243; Ter. Ad. 893 (V 6, 5).

§ 24 et ad Quir. § 17 in. „homini" (Lentulum autem

significat); expectabamus „viro". „Homo" enim, ut graeca vox ἄνθρωπος (Aristoph. Ach. 464 etc. etc.) ubi nude ponitur, cum contemptu dicitur, e. g. Sest. 89; Rosc. Am. 86; Act. I Verr. § 7; Pis. 51; Cluent. 50; Act. II Verr. passim; vel cum epithetis coniungitur ornantibus ut div. in Caec. 56 „homini aequissimo"; 69 „homo virtute fortuna gloria rebus gestis amplissimus";

non autem cum mea opinione pugnare locum Sext. 88 ubi legimus „huic gravitati hominis videbat ille gladiator se.... parem esse non posse"; idem enim ibi esse quod epitheton ornans („einem so festen und energischen Charakter" Halm), quivis opinor videt.

§ 25 „Cuius quondam de patria discessus molestus omnibus, ipsi ne luctuosus quidem visus est"; inepta gradatio; luctuosus enim multo maiorem habet vim quam molestus, ut vel ex hoc loco apparet: pro Mur. 90 „quae si acerba, si misera, si luctuosa sunt".

§ 30 „Vobis vero.... singulis et egi et agam gratias." Quod sciamus, hoc non est verum.

Ibid. „Ornate gratias agere" hoc tantum legitur loco. „Ornate convivium parare" Verr. I 65; „ornate et copiose defendere" Caec. 53; „ornate dicere" imp. Pomp. 52; Sext. 74; Cael. 8; Balb. 2; „ornate perorare" Cael. 23; „ornate praedicare" Phil. XI 33; „ornate scribere" Scaur. § 4;

rectissime nostrae or. § 26 „ornate causas agere".

Ibid. „hominibus de me divinitus meritis" (vid. iam Markl. p. 248 sq.) pro „divine" vel „praeclare" meritis. Divinitus est i. q. θεόθεν „wie aus höherer göttlicher Eingebung"; divine autem = θείως. Omnes autem loci in orationibus vere Ciceronianis, ubi haec vox occurrit, sunt hi: de imp. Pomp. 45; 47; Act. I Verr. § 1; 43; Act. II, IV 69; III 22; 178; Sull. 43; Phil. IV 5; Verr. III 45. Dubitare quis possit de duobus locis Balb. 31 „o iura praeclara atque divinitus a maioribus nostris comparata!" Catil. III 22 „id non divinitus esse factum putatis?" Quamquam ne iis quidem locis ulla remanere potest dubitatio quin θεόθεν ibi quoque sit vertendum, postquam nobiscum reputaverimus omnibus aliis locis vere Ciceronianis eam in hoc adverbio inesse significationem. Quin in libris quoque de Oratore eodem semper et ubique haec vox adhibetur sensu: ibi autem semper coniungitur cum „scribendi" vel „dicendi" verbis (excepto loco I 202 ubi ad litteram est vertendum); sunt autem loci de Orat. I 26; 28; 49; 227; 202; II 127; III 4; 15 etc.

Recte adhibetur de har. resp. § 19 „divinitus perscripta"; de domo § 1 „cum multa divinitus.... a maioribus nostris inventa sunt".

Ibid. „Omnis erit aetas mihi ad eorum erga me merita praedicanda atque recolenda." cf. Markl. p. 249: „In the next place I query, Wether this manner of speaking, „omnis erit e. q. s.", is Latin, and any where else to be found, or any thing like it." Aliter omnia se habent e. g. pro Font. § 21 i. f.

§ 31 „Nostra memoria senatores ne in suis quidem periculis mutare vestem solebant"; haec verba aut continent mendacium (vid. Markl. p. 249 sq.), quum et ipse Cicero A°. 58 mutaverit vestem (cf. ad Att. III 15) et e. g. Licinius Macer (Plut. v. Cic. c. 9) et Lentulus (Plut. l. l. c. 19), et Murena (Cic. pro Mur. c. 40) et Sulla (pro Sull. c. 31), aut, si is est nostri loci sensus quem inde elicere vult Gesnerus p. 239 („neque vero aliud hic dicitur, quam memoria Ciceronis fuisse senatores, qui ne suis quidem in periculis vestem mutarent") ineptissime, immo perversissime omnia sunt enuntiata.

Diserto silentio locum praeteriit K l o t z i u s.

§ 36 „Nihil minuam de libertate mea pristina sed etiam adaugebo." Adaugendi verbum sine obiecto adhibitum, suspicionem movet. cf. Rosc. Am. 30 „tamen h a e c aliis nefariis cumulant atque adaugent."

Declamatoris vitium corrigere conatus est Heumannus (1735) quum coniecit e a m pro „etiam".

§ 39 puerili conscripta esse videtur stilo.

II. *Ad Quirites.*

§ 1 „e i u s d e v o t i o n i s m e e s s e c o n v i c t u m iudicio deorum immortalium" vix Latine dictum mihi videtur. Alia est verborum structura de domo § 145 „hanc devotionem capitis mei .... convictam esse .... putabo."

§ 2 cum Marklando p. 265 sq. in „laetitiae" haereo „voluptate."

§ 3 „ludi denique et dies festi quid haberent voluptatis carendo magis intellexi quam fruendo" (de re cf. cap. IV init.);

apertissime haec pugnant cum iis quae profitetur i p s e Cicero pro Arch. 13; Planc. 66; ad Fam. VII 1; ad Att. IV 8. — „Hoc dicit fortasse temporis caussa," M a n u t i u s.

Nisi confugiamus ad locum qui in huiuscemodi quaestionibus *γνησιότητος* defensoribus semper optatissima adest, Cluentianae dico c. 50, nulla ratione ex hac difficultate extricare nos possumus.

§ 8 „promeritum" cf. ad in sen. § 1.

§ 16 „tum me in perorando posuit rogari a senatu, ... deinde ipse ad extremum .... vos rogavit." Sumamus igitur oportet aut hoc esse factum in i n d i g n a t i o n e (Cic. de Inv. I 100) aut in a m p l i f i c a t i o n e (ad Her. II 47; III 24; or. 125 sq.; or. part. 27; 53), aut in c o m m i s e r a t i o n e vel c o n q u e s t i o n e (ad Her. l. l.).

§ 17 „isdem centuriis, quibus conlocaretis, reposuistis." Locum inepte expressum obscureque enuntiatum explicant alia ipsius Nostri verba, in sen. § 27 extr.: „ut eaedem centuriae, quae me consulem fecerant, consulatum meum comprobarent." M a n u t i i addere libet interpretationem: „Ut centuriatis comitiis consul factus sum, sic lege centuriatis comitiis lata restitutus."

§ 21 Latine non recte dicitur: „rem publicam bene gerendo, — rationem repetendo." M u e l l e r: „„re p. bene gerenda" audacter scripsi." Qui ipsius declamatoris vitium correxisse mihi videtur.

§ 22 „etenim ulciscendae iniuriae facilior ratio est quam beneficii remunerandi, propterea quod superiorem esse contra improbos minus est negotii quam bonis exaequari." M a r k l. p. 282: „In the former part of the Sentence, the L a t i n is doubtfull; in the latter, the Sense."

III. *De Domo Sua.*

§ 3 „hos talis viros, qui non solum consiliis suis, sed etiam s p e c i e i p s a dignitatem rei p. sustinent."

Quid sibi velint verba „specie ipsa" ego non assequor.

Inepte h. l. noster exprimit ea, quae paulo melius est dicturus § 133 „Viri qui sua dignitate personam populi R. atque auctoritatem imperii sustinerent."

§ 5 „hunc tu civem .... cedere c u r a s t i" pro coegisti (quod contra librorum fidem proposuit Lambinus). H o t o m a n n u s: „non memini me similem apud hunc locutionem animadvertisse."

Markl. p. 374 sq. „The usual L a t i n way of writing is: „curasti ut hic cederet."

Longe aliter rem se habere e. g. pro Rosc. Am. 103 „eum hominem occidendum curavit" quivis videt.

§ 6 „quod cum mihi nuntiaretur, scio me domi mansisse."

Displicet verbum scio.

§ 13 „his atque eiusmodi ducibus cum tu in annonae caritate in consules, in senatum, in bona fortunasque locupletium per causam inopum atque imperitorum repentinos impetus comparares." Non credo Latine hoc dici posse.

§ 22 infinitivum male suspensum „gratulari" perverse ac frustra defendere studet Rueckius p. 50 allatis quinque locis ex.... Caesaris de bello Gallico!

§ 24 Inusitata offendit locutio „rescindere provincias." Rescinduntur testamenta (verr. I 111), pactiones (prov. cons. 10); rescinditur praetura (verr. II 140), locus (leg. agr. III 3 „eum locum.... me duce rescidistis"), iudicium (Verr. V 19; 20; Cluent. 60; Phil. I 23; II 109; XIII 5); nusquam autem apud Tullium rescinduntur provinciae.

Ibid. „si, quae tum promulgasti, constituisti, promisisti, vendidisti, perferre potuisses" e. q. s. Zeugma perperam institutum deprehendit Wolfius recte observans „perferendi" verbum ad remotissimum tantummodo pertinere „promulgandi" verbum; ceteris vero respondere „perficere" vel tale quid. Quem refutare neque valet Savelsius neque Rueckius p. 56 („nihil invenio quod defendam").

§ 25 Quomodo e verbis „socio tui sanguinis" haec elici possit significatio quam in iis inesse contendit Manutius („qui tibi socius erat in turpi amore sororis tuae") videant alii. Siquis prolixis delectatur vereque Germanicis disputationibus, is adeat Klotzii ad hunc locum annotationem (p. 944 sq.).

Ibid. „excitatus.... Cn. Pompei.... dolor subvenit rei-

publicae civitatemque.... erexit." Male haec expressa sunt e Sestianae § 67.

§ 37 Hunc locum excitat Marklandus p. 237 sq. tanquam specimen „eloquentiae fluctuantis et dissoluti" (ad Her. IV § 16), „wavering Eloquence". cf. ad § 133.

§ 40 „praecipitante tribunatu" idem h. l. et de har. resp. 50 valere videtur quod „ad finem ruente"; nusquam alibi eo sensu obviam in Ciceronis orationibus: semper enim et ubique significat i. q. „herabstürzen", etiam e. g. Sull. 1 et 87.

§ 60 „hostificum bellum" ἅπαξ λεγόμενον mirum admodum.

§ 124 „visceribus aerarii"; perversa metaphora. Cf. quae annotavi ad in sen. § 4.

§ 133 Idem hoc loco deprehendit vitium Marklandus (p. 238 sq.) ac § 37, ubi vid.

De verbo „ades" sine dativo addito cf. e. g. Kiessling ad Hor. Sat. I 9, 38 „Si me amas, inquit, paullum hic ades."

§ 23 h. or. eadem fortasse vocabula erunt substituenda verbis traditis manifeste corruptis „ex sui Caesaris rebus actis"; ubi Madvig, Adv. II 216 legendum censet „ex visceribus aerarii", improbante Savelsio, progr. Essen 1833 p. 18.

IV. *De Haruspicum Responso.*

§ 1 Verborum coniunctio „impudica impudentia" quamquam inelegantissima mihi videtur, tamen, lecta Lahmeyeri (p. 42 sq.) defensione, iam non cum Marklando (p. 332) Wolfioque νοθείας hoc loco odorari audeo iudicium. Perverse autem ipse ille Lahmeyerus hanc „allitterationem" defendit allatis tribus ex orationibus genuinis locis ubi legimus „pudor, pudicitia".

Ibid. „Duobus inceptis verbis" inepte est enuntiatum. Vid. quae disputavi cap. I p. 16 sq.

§ 3 „Nihil f e c i iratus, nihil impotenti animo, nihil non diu consideratum multoque ante meditatum" ἀντὶ τοῦ „nihil d i x i iratus" e. q. s. In S e n e c a e hoc quadrat Latinitatem (cf. Ep. 87 § 23), non in Ciceronis. Grave h. l. subesse vitium, post lectam tandem Lahmeyeri p. 29 defensionem mihi elucebat.

I b i d. „Qui me, qui rem publicam" e. q. s.

Constructio inculta admodum.

I b i d. „Supplicia" adhibitum significatione „calamitatis" suspicionem movet.

§ 4 „illum ambustum religiosissimis ignibus" ridiculum videtur. cf. Hoffmann p. 12 sq.

§ 5 „Nihil enim contra me fecit odio mei, sed odio severitatis (sc. meae!) odio dignitatis, odio reip."

Tantopere declamatori placuisse videtur ἀντίθετον ingeniosissime lepidissime a se inventum, ut non animadverterit quam inanis sic esset orta sententia quamque ridicula.

§ 7 „diem dixisset ut i e c e r a t", ubi mente supplendum est „minas"!! Nusquam praegnantissima — ut ita dicam — hac significatione recurrit iaciendi verbum;

iaciuntur voces (Cat. IV 14); faces (de domo § 63);

iacitur suspicio (Flacc. 6), contumelia (Sulla 23), crimen Qu. Rosc. 25);

nunquam vero „iacere" sic nude positum id valet — nec omnino valere id posse persuassimum mihi est — quod minari".

Neque altera praestat lectio „fecerat", quam e coniectura nescioquis in textum invexit.

§ 8 „etiam sua contio r i s i t hominem .... conqueri." Perperam ridendi verbo h. l. adstruitur accusativus qui dicitur cum infinitivo.

Iniuria autem in M e r g u e t i lexico tanquam alterum

huiusce constructionis exemplum laudatur locus Verr. III 61 „iste ridere et mirari Lollium nihil de Matrinio .... audisse". Non enim h. l. infinitivus de r i d e n d i pendet verbo, sed de m i r a n d i.

I b i d. Adiectivum v i r i l i male abundare, infra demonstrabo (§ 4).

§ 10 „Promonendi" verbum hoc uno occurrit loco.

§ 11 „Ne una quidem attigit litera r e l i g i o n i s": pro „de religione" (Markl. p. 336). cf. Cluent. 184: „in quibus tabellis d e f u r t o litera nulla invenitur."

Aliam omnino esse rem ad fam. I 1 (calumniam r e l i g i o n i s) non perspexit Gesnerus; nugatur autem Lahmeyerus p. 47 sq. — Idem fere vitium occurrit de domo § 128: „unum ostende verbum consecrationis" e. q. s.

§ 13 „ita est enim interpretatio illa pontificum, ut eidem potestatem habeant iudicum." Quamquam perspicuus est sensus (recte enim post Klotzium p. 978 sq. sic locum vertit Lahmeyer p. 48: „Denn mit jener Erklärung der Oberpriester steht es solcher Gestalt, dass sie" u. s. w.) ipsa verba sunt inepta.

I b i d. „alii qui honoribus populi R. a n t e c e d a n t." Verbum ineptum, nusquamque hac significatione obviam.

§ 14 „De hoc igitur loco" e. q. s. Vid. Cap. II p. 40 sq. Contorte imperiteque enuntiatum.

§ 15 „Primum negotium isdem magistratibus est datum anno superiore, ut curarent ut sine vi aedificare mihi liceret, quibus in maximis periculis universa res p. commendari solet."

Absurda me iudice structura verborum.

§ 16 Ciceronis domus „iudicio munita" iam ab E r n e s t i o vituperabatur.

§ 18 De universo hoc loco cf. ea quae disputavi cap. IV.

§ 22 de hac paragrapho adeatur Cap. I p. 13 sq.

Ibid. „Vis enim innumerabilis incitata ex omnibus vicis conlecta servorum ab hoc aedile religioso repente e fornicibus ostiisque omnibus in scenam (= caveam, vid. § 25) signo dato immissa irrupit."

Horrida structura verborum.

§ 26 „id cum ipsum sibi monstrum esset" ἀντὶ τοῦ „per se"; dativum contra Marklandum p. 343 defendit Gesnerus p. 275 collatis .... Sil. XIII 66 „Virtus sibi pulcherrima merces"; Sen. Ep. 97, 14: „sceleris in scelere supplicium". (!!) Quae affert Lahmeyer p. 48 sq. non expedio. „Per se" in nostrae orationis legitur § 36.

Ibid. „si sunt illi vestri, quos tu impia mente conquiris" (pro „adis, inspicis"), violatis oculis legis, contaminatis manibus attrectas." Vid. Markl. p. 346 sqq., Gesner p. 275 sqq., Wolf p. 343 sqq. — Gesnero iudice „violati oculi" sunt „oculi qui violarunt" <fortasse conferenda vox Belgica „beroerd" pro „beroerend"> — quam temerariam interpretationem commendare conatur vir d. analogia participiorum qualia sunt falsus (qui fefellit); fictus (qui finxit), summa nisi fallor iniuria.

§ 29 „praedictum" pro „dictum".

Praedicere semper et ubique in Ciceronis oratt. valet i. q. „vorhersagen", „vorherverkündigen", e. g. Catil. IV 6; Planc. 83;

recte adhibetur a Nostro § 18.

cf. § 4 huius capitis, in fine, cum ann.

§ 33 congeriem ac tanquam globum deprehendisse mihi videor vitiorum atque nugarum.

„Tu meam domum religiosam facere potuisti? Qua mente? quam amiseras (!) .... qua lege? quam ne in illa quidem impunitate tua scripseras. Quo pulvinari? Quod stupraras

(ἀντὶ τοῦ „cui stuprum intuleras") .... itaque ne quis meorum imprudens introspicere tuam domum possit ac te sacra illa (pro „ista" quod recte collocatur § 27; § 29 extr.; c. 17 extr.; § 43; § 46 bis, etc.) tua" e. q. s. (de extremis huius paragraphi verbis vid. § 1 huius capitis).

§ 37 de vocabulis „nemo neglexit" vid. cap. II p. 41.

§ 42 in. de pronomine ipse cf. huius cap. § 4.

Ibid. „quod di omen obruant!" Verbum sollemne hac in re est „avertere", Mur. 88, Flacc. 104; Phil. III 35; IV 10; XI 11; XII 14; XIII 7; 41; XIV 26 etc.

Ibid. „in domesticis est germanitatis stupris volutatus"; vid. quae disputavi cap. I p. 15 sq.

§ 45 „.... cum in me cognitorem harum omnium rerum illa flamma illorum temporum coniciebatur, excepi et pro patria solus exarsi, sic tamen, ut vos isdem ignibus circumsaepti me primum ictum pro vobis fumantemque videretis."

Graviter insulsissima metaphora vituperatur a viro clarissimo Hartman.

§ 46 „illos homines sapientissimos gravissimosque miror, primum, quod quenquam clarum hominem atque optime de re p. meritum impurissimi voce hominis violari facile patiuntur, deinde si existimant perditi hominis profligatique maledictis posse, id quod minime conducit ipsis, cuiusquam gloriam dignitatemque violari, postremo" e. q. s.

Verborum structura salebrosa admodum; absona substantivi „hominis" repetitio; intolerabile vero „violandi" verbum diverso adhibitum sensu; etenim, ut ait Gesnerus p. 231: „in priore loco violare conatum notat, in altero effectum."

§ 49 „ad privatum dolorem .... ad rationem reip." Num Latine sic loqui licet?

§ 50 „praecipitantis tribunatus" h. l. est i. q. „ad finem ruentis"; cf. ad de domo § 40.

§ 52 „si reditus ei gratiae patuerit." Perversa Latinitas, quam tueri non potest versiculus a Gesnero arcessitus. Vid. cap. I p. 16.

§ 55 med. „tum se emergit." Quamquam ex locis quales sunt Vatin. 17 („unus tu emersus e coeno") vel Sest. 20 („hominem emersum subito ex" e. q. s.) apparet, „transitive" in Ciceronis orationibus nonnunquam usurpari „emergendi" verbum, tamen persuadere mihi non possum recte Latine dici „emergo me".

§ 59 extr. „istum videtis.... rostra ipsa mandentem", quae verba absurdissima rectissime sic vertit Marklandus p. 355: „eat the very Rostra", contra quem Gesnerus p. 284: „similis pictura et vehementia est in canibus Clodii, h. e., rabulis, Rostra ipsa mandentibus, quam admirari satius est, quam reprehendere."

Iamque tandem aliquando finem imponere libet infinitae huic enumerationi. Ad alia enim properandum.

§ 4.

Voculae nonnullae tantopere in deliciis sunt auctori nostro, ut vix ac ne vix quidem vehementi possit resistere cupidini in omnes fere sententias suas eas invehendi. Inprimis hic specto vocabula paene, prope, di immortales, divinus, quae, ut saepiuscule apud ipsum Ciceronem occurrunt, ita apud nostrum tam frequenter leguntur, ut vel ex una hac re suspicari quis possit, imitatorem hic loqui; etenim, ut recte monet v. d. Boissier [1]), „en imitant on exagère". E. g. nonnullos tantum afferam locos; taedet enim pudetque hac in re omnem exhaurire materiam.

a. paene, prope; in senatu § 4 paene delerunt; § 5 tribunorum plebis paene omnium virtus; § 22 cum conlegis paene omnibus; § 24 hominem fractum et prope dissipatum; § 25 paene Italia ipsa; paene ex Acheronte excitato; § 31 et prope luctu nostro; § 33 paene isdem ducibus; § 38 paene delevit; § 39 Italia cuncta paene suis umeris reportavit; ad Quir. § 2 paene divina; § 5 quae paene amissa esset; § 15 paene omnes; § 17 paene sensit; de domo § 15 paene belli depulso metu; § 14 paene praecipue; § 18 paene diximus; § 17 paene sensit; § 21 ratione vitae mirabili et prope singulari; § 100 prope totius urbis; § 123 paene (del. a Kaysero); § 145 paene fato reip.; de har. resp. § 4 paene pestibus; § 3 longius prope progressum; § 10 prope iam voce Iovis; § 14 paene cunctae; § 23 paene funesti; § 24 paene ad caedem et ad funus; § 35 prope iam diffidimus; § 38 prope (om. GEW); § 41 paene demens; § 49 paene deletrix.

b. Di immortales, divinus etc. Markland p. 241: „He is perpetually ringing the chimes upon Dii immortales and deorum immortalium."

Quodcunque non plane est pessimum, apud nostrum audit divinum.

---

1) Boissier, Cic. et ses Amis[9] p. 295; cf. Quintil. I. O. X 2 § 10: „Adde quod plerumque facilius est plus facere quam idem." Utilissima huius rei exempla ex ipsa petita litterarum historia praebet scriptor praeclarus Seneca Ep. 114, 17 sqq.; lepidissime quoque argumentum nostrum illustrari potest coll. Jules Martha, Archéol. Etr. et Romaine p. 99 sq. — Et tamen, vel summa adhibita industria, „numquam par fit imitator auctori" (ut est apud Senecam patrem, Controv. I praef. § 6 p. 59 Kiessl.).

in senatu § 1 di immortales; § 2 deorum immortalium, — deos immortales, — dis immortales; § 3 immortalitatem; § 1 vestris immortalibus in me meritis; divinum atque incredibile genus orationis; § 9 di immortales; § 25 divina quadam gravitate; § 28 beneficio excellenti atque divino; § 30 deorum in numero — dis immortalibus — de me divinitus meritis; § 26 Muellerus e coniectura vocem „divinitus" in textum invehere vult: „itaque <divinitus> extitit"; ad Quir. § 1 dis immortalibus — deorum immortalium — divino immortalique beneficio; § 2 paene divina; § 4 di immortales; § 5 di immortales — dis immortalibus — dis immortalibus; § 7 divina quadam etc.; § 14 deorum immortalium; § 18 dis immortalibus — deos immortales — deorum immortalium; § 25 deorum immortalium; de domo § 1 divinitus, — deorum immortalium; § 2 deorum immortalium — divina, — deorum immortalium; § 75 divina atque immortalia decreta; § 98 laus praeclara atque divina; § 107 deorum immortalium — deos immortales; § 119 deorum immortalium; § 123 deorum immortalium; § 125 deorum immortalium; § 141 deorum immortalium — di immortales; § 143 di immortales — divino numine — dis — di —; § 147 dis immortalibus; de har. resp. § 2 paene divinam; § 5 deos immortales; § 6 quasi divino munere; § 11 deorum immortalium; § 12 dis immortalibus; § 19 deorum immortalium — divinitus; § 20 dis immortalibus — dis immortalibus; § 22 di immortales; § 23 deorum immortalium; § 25 di immortales; § 32 dis immortalibus — di immortales; § 34 divino iure — dis immortalibus; § 39 dis immortalibus — deorum immortalium — dis immortalibus; § 40 dis immortalibus; § 42 pro di immortales; § 44 a dis immortalibus; § 61 di immortales; § 57 dis immortalibus; § 62 de-

orum immortalium; § 63 deorum immortalium etc. etc. etc.

Hic quoque voces nonnullas indicare mihi liceat quae prorsus abundare videantur, qua de re post Marklandum (p. 334—6) paucissimis perfungi possum. Ex horum vocabulorum numero nominare velim de har. resp. § 8 virili (cf. Gesner p. 273 sq.; Lahmeyer p. 44 miram quandam in ipso hoc vocabulo suspicit atque admiratur venustatem; tacet autem Klotz); ibid. § 25 universi (in Klotzii defensione, reconditissimum hic indaganti *ἀντίθετον*, acquiescere non possum); § 42 in. ipse (Klotzius in Annot. et Lahm. p. 49 antitheton nescioquod hic quoque adesse contendunt); de domo § 132 ceterorum (praeter Markl. p. 335 adeantur Halm apud Rückium p. 36; Mueller p. CXXX; tacet Klotz).

Marklandi deinde sententia de domo § 92 „*re*tinebat" positum est pro „tenebat"; § 50 „*re*tulisti" pro „tulisti" (id quod post Madvigii palmarem emendationem Adv. II 218 „Sortitore tulisti" omnes recipiunt editores); § 115 „*ex*cogitavit" pro „cogitavit" (Markl. p. 386; Manutius: „fero; sic tamen ut „cogitavit" magis probem; Lambinum legentem „cogitavit" secutus est Kayser);

de har. resp. § 29 „*prae*dictum" pro „dictum" (cf. h. cap. § 3 p. 64); in senatu § 1 „*pro*merita" pro „merita," etc. [1]), de quibus rebus cf. § 3 huius capitis.

§ 5.

In fine huius disputationis locos nonnullos afferre in animo est, inter quos et orationes vere Ciceronianas

1) Ferri talia possunt, immo debent, in sermone e. g. Phaedriano; cf. v. cl. Hartman, de Phaedri fab. Comm. 1890 p. 116: „Habet hoc sermo Phaedrianus ut saepe composita pro simplicibus, simplicia pro compositis adhibeantur." Vix autem ac ne vix quidem persuadere mihi possum in Ciceronis dictione recte talia se habere.

tanta intercedat similitudo, ut vix ac ne vix quidem possimus quin suspicemur, hic illic studuisse auctorem nostrum ut genuinos locos Tullianos imitando exprimeret. Quales loci ut per se spectati nulloque aliunde accedente momento, minimi sunt pretii — constat enim, „proprium esse Ciceronis, et in orationibus et in dialogis et in epistolis eandem saepe sententiam dicere" [1]) — ita persuasum mihi est, novo quodam eosdem illos locos parallelos tanquam collustrari lumine si considerentur una cum iis vitiis peccatisque quae in praecedentibus breviter indicavi. Sic enim, postquam semel suspicio nobis est orta de quatuor nostrarum orationum νοθείᾳ, iam non licet in eiusmodi analogiis nihil videre nisi corroborationem verborum docti quem supra laudavi Scholiastae: quum contra tum demum elucet, hic nobis esse rem cum imitationibus sive institutis de industria dataque opera, sive ortis tamquam casu et fortuito, assidua lectione diligentissimoque scriptorum vere Ciceronianorum studio. Cuius rei exempla nonnulla in sequentibus indicabo, atque id quidem ita ut rei me satisfecisse sim existimaturus, si praecipuos locos ex orationibus post reditum in senatu, p. r. ad Quirites, et de haruspicum responso, qui huc facere videantur, exhibuerim, praetermissa (in praesentia) prolixissima oratione de domo; etenim, hanc quoque si eadem tractare vellem ratione, et nullus huius disputationis esset finis, et hercle laborem susciperem prorsus irritum omnique ex parte supervacaneum.

Veniamus ad propositum.

I. *Post reditum in senatu.*

§ 1 frater amantissimus ∼ Sest. 76; ad Att. IV 1, 8; ad Quintum fr. I 3, 4; Catil. IV 3; de domo 96.

---

1 Verba sunt Pseudo-Asconii in Act. II Verr. I § 7 p. 157 Or.

§ 3 immortalitatem quandam per vos esse adepti videmur ∼ Pis. 7 Mihi populus R.... aeternitatem immortalitatemque donavit.

§ 6 itaque postea.... civitatem videbatis ∼ Pis. 32 Tu luctum senatus, tu desiderium equestris ordinis, tu squalorem Italiae, tu curiae taciturnitatem annuam, tu silentium perpetuum iudiciorum ac fori, e. q. s.; cf. quoque Sest. 68 extr.

§ 8 P. Lentulus, parens ac deus nostrae vitae e. q. s. ∼ Sest. 144 Video P. Lentulum, cuius ego patrem deum ac parentem statuo fortunae ac nominis mei et fratris liberorumque nostrorum.

§ 9 (cf. de domo 83, de har. resp. 18) illo Cinnano tempore ∼ Sest. 77 nisi forte illo Cinnano atque Octaviano die;

§ 11 in aram tribunatus confugisset ∼ Verr. II 8 ad aram legum confugerint; V 126 hic locus igitur est unus, quo perfugiant; hic portus, haec ara sociorum; Sest. 18 in tribunatus portum perfugerat; cf. de Deor. Nat. III 25 tanquam in aram confugitis ad deum.

Ibid. Quo inspectante ac sedente legem trib. pl. tulit, ne auspiciis obtemperaretur, ne obnuntiare concilio aut comitiis, ne legi intercedere liceret; ut lex Aelia et Fufia ne valeret e. q. s. ∼ Pis. 9 triduo post, inspectante et tacente te a fatali portento prodigioque rei p. lex Aelia et Fufia eversa est, propugnacula murique tranquillitatis atque otii; Sest. 33: Isdemque consulibus sedentibus atque inspectantibus lata lex est, ne auspicia valerent, ne quis obnuntiaret, ne quis legi intercederet, ut omnibus fastis diebus legem ferri liceret, ut lex Aelia, lex Fufia ne valeret; — cf. quoque de domo 62; 113 sq.; de har. resp. 1.

§ 12 (Gabinii) lenonis impudicissimi.... cincinnatus ganeo — unguentis oblitus, § 11 cuius primum tempus

aetatis — divolgatum ~ Sest. 18 Alter unguentis affluens, calamistrata coma, despiciens conscios stuprorum ac vexatores aetatulae suae, puteali et faeneratorum gregibus inflatus; Sest. 26; Pis. 25.

I b i d. idemque postea.... preces repudiavit ~ Sest. 26 Qua tum superbia coenum illud ac labes amplissimi ordinis preces et clarissimorum civium lacrimas repudiavit, me ipsum ut contempsit helluo patriae!

I b i d. Neque eo contentus fuit, sed etiam in contionem escendit.... non esset ausus (cf. quoque de domo 62) e. q. s. ~ Sest. 28 advocat contionem, habet orationem talem consul, qualem nunquam Catilina victor habuisset; Sest. 28 sq. conferenda cum nostrae orationis § 12;

I b i d. Cum toga praetexta ~ Pis. 25 praetextatum;

§ 12 sq. ~ Sest. 26 sqq.; cf. Pis. 25; prov. cons. 7 sqq. etc.

§ 14 tum est Epicureus ~ Pis. 37 Epicure noster; 42 sqq.; de re vid. Sest. 23.

§ 16 isto oculo.... ista fronte.... tanto supercilio ~ Sest. 19 nam quid ego de supercilio dicam....? Tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis; Pis. 1 oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit....

§ 16 extr. ~ Pis. 17 sq.

§ 19 vim vi esse superandam ~ Mil. 30 vi victa vis; I b i d, de Milone cf. Sest. 86.

§ 21 officia <ac> studia ~ Flacc. 52 studia et officia.

§ 25 sq. vos frequentissimos in Capitolium convocavit; dissensit unus ~ Sest. 129 cuius sententiam ita frequentissimus senatus secutus est, ut unus dissentiret hostis e. q. s.; cf. S u r i n g a r, Cic. de vita sua p. 689.

§ 28 quo die quis civis fuit qui fas esse putaret, quacumque aut aetate aut valetudine esset, non se de salute mea sententiam ferre? quando tantam frequentiam in campo, tantum splendorum Italiae totius ordinumque omnium, quando illa dignitate rogatores, diribitores custodesque vidistis? ~ Pis. 36 ex vobis audio nemini civi ullam, quo minus adesset, satis iustam excusationem esse visam; nullis comitiis umquam neque multitudinem hominum tantam neque splendorem fuisse; hoc certe video, quod indicant tabulae publicae, vos rogatores, vos diribitores, vos custodes fuisse tabularum e. q. s.

§ 32 Nominatim alii compellabantur, alii citabantur.... demolitione sublati ~ Sest. 35 cum.... alii nominatim relegarentur, alii metu et periculo terrerentur, arma essent in templis, armati in foro....

§ 33 simulatione collegiorum ~ Sest. 34 servorum dilectus habebatur pro tribunali Aurelio nomine collegiorum; cf. Sest. 55; Pis. 9 collegia non ea solum, quae senatus sustulerat, restituta, sed innumerabilia quaedam nova ex omni faece urbis ac servitio concitata;

§ 33 sed videbam.... si victus essem.... tribuniciique sanguinis ultores esse praesentis ~ Sest. 43 Cui denique erat dubium quin ille sanguis tribunicius, nullo praesertim publico consilio profusus, consules ultores et defensores esset habiturus?

II. *Post reditum ad Quirites.*

M a r k l. p. 261: „This Oration seems to be little more than an Abridgement of the former; and the worth of it chiefly consists in its Resemblance to that: for the Thoughts, Expressions, and Examples are, for the most part, the same." cf. G e s n e r p. 241 sq. — S c h a n z, Gesch. d. röm. Litt.

I[1] p. 213 „Diese Rede hat im Wesentlichen denselben Inhalt wie die vorige. Auch hier haben wir wiederum eine unleidliche Verherrlichung seiner Rückberufung und eine Lobpreisung der Personen, welche für ihn thätig waren. Der Wortschwall ist nahezu unerträglich." De huius saltem orationis origine Tulliana dubitare se confitetur Teuffel, Gesch. d. Röm. Litt. I[5] p. 328.

§ 1 Quod precatus e Iove Optimo Maximo ceterisque dis immortalibus sum, Quirites, eo tempore ~ pro Mur. 1 Quod precatus a dis immortalibus sum, iudices,.... illo die, quo e. q. s.; — est locus tantum non communis, vid. Div. in Caec. 43 „si quid ex vetere aliqua oratione „Iovem Opt.m Max.m" aut „vellem, si fieri potuisset, iudices" aut aliquid eiusmodi ediscere potueris, praeclare te paratum in iudicium venturum arbitraris" („Vellem" etc. legitur e. g. pro Sulla 1).

§ 10 infra omnes mortuos amandatus esset ~ pro Quinct. 49 infra omnes etiam mortuos amandatur.

§ 18 Numen vestrum aeque mihi grave et sanctum ac deorum immortalium in omni vita futurum ~ Rab. perd. 5 vos, Quirites, quorum potestas proxime ad Deorum immortalium numen accedit e. q. s.; — ad iudices pro Mur. 2; Cluent. 195; cf. ad Quir. § 25 vobis, qui apud me deorum immortalium vim et numen tenetis.

In hac declamatione quoniam omnia ad verbum congruunt cum oratione in senatu, satis habeo relegare lectorem ad eos locos parallelos quos ad illam exscripsi orationem.

III. *De haruspicum responso.*

§ 4 prospexi quanta tempestas excitaretur, quanta impenderet procella reip. ~ pro Cael. 59 significabat Q. Metellus moribundus, quanta impenderet procella urbi, quanta tempestas civitati;

§ 5 Qui si sentit quo scelere se devinxerit, non dubito quin sit miserrimus; sin autem id non videt, periculum est ne se stuporis excusatione defendat ~ Phil. XIII 34: o miser cum re, tum hoc ipso, quod non sentis, quam miser sis, et Caec. 30 Quid huic tu homini facias? Nonne concedas interdum, ut excusatione summae stultitiae improbitatis odium deprecetur?

§ 7 si quod in me telum intenderit ~ prov. cons. 23 tela undique intenta in patriam; Pis. 5 Ego tela extremo mense consulatus mei intenta iugulis civitatis de coniuratorum nefariis manibus extorsi.

§ 15 Domus mea primum aedificatur ex auctoritate senatus pecunia publica; § 16 quam senatus unam post hanc urbem constitutam ex aerario aedificandam putaret ~ Pis. 52 Patres conscr. mihi, quod ante me nemini, pecunia publica aedificandam domum censuerunt.

§ 18 Ego vero primum habeo auctores ac magistros religionum colendarum maiores nostros ~ Mil. 83 movet id, quod maximum est, maiorum sapientia: qui sacra, qui caerimonias, qui auspicia et ipsi sanctissime coluerunt, et nobis prodiderunt;

§ 19 Quis est tam vecors, qui aut, cum suspexerit in caelum.... esse natum? ~ Mil. 83 qui nullam vim esse ducit numenve divinum, quem neque imperii vestri magnitudo, nec vicissitudines rerum atque ordines movent. Cum toto loco cf. Mil. 83—85; de Deor. Nat. II 4; 93 sqq., ex quibus locis nostra verba desumpta videntur, nullo adhibito iudicio sano.

§ 20 Ne plura de re minime loquar dubia ~ Cael. 15 nimium multa de re minime dubia loquor.

§ 28 Pessinuntem ipsum, sedem domiciliumque Matris Deorum, vastaris et Brogitaro Gallograeco, homini impuro ac nefario, cuius .... solebant totum illum locum fanumque vendideris? ~ Sest. 56 Lege tribunicia Matris Magnae Pessinuntius ille sacerdos expulsus et spoliatus sacerdotio est fanumque sanctissimarum atque antiquissimarum religionum venditum pecunia grandi Bogitaro, impuro homini atque indigno illa religione.....; cf. nostrae or. § 28 sacerdotem ab ipsis aris pulvinaribusque detraxeris?

§ 29 Deiotarus — quem unum habemus in orbe terrarum fidelissimum huic imperio atque amantissimum nostri nominis ~ Phil. II 93 de rege Deiotaro, populi R. amicissimo; pro Deiot. 37 senatus vero iudicia de illo tam multa tamque honorifica, quae .... consignata sunt; Phil. XI 33; Deiot. 10: Is rex, quem senatus hoc nomine saepe honorificentissimis decretis appellavisset e. q. s.; de har. resp. 29 hunc tamen Deiotarum, saepe a senatu regali nomine dignum existimatum, clarissimorum imperatorum testimoniis ornatum e. q. s.

§ 37 te iudices emiserunt excussum et exhaustum; suo iudicio, absolutum; omnium, condemnatum ~ ad Att. I 16, 4 nemo erat, qui illum reum ac non millies condemnatum arbitraretur; Pis. 95 Emissus etiam illo auctor tuus provinciae .... quis fuit in tanta civitate, qui illum incesto liberatum, non eos, qui ita iudicarint, pari scelere obstrictos arbitraretur?

§ 38 oculos .... hos flagrantis sororis ~ Cael. 49 flagrantia oculorum.

§ 42 Huius sectionis exempla fuerunt loci Sest. 18 (de aetatula); 16; 39; Cael. 32; cf. de har. resp. § 59.

§ 43 idem iste pudorem, pudicitiam, senatus auctoritatem, ius, fas, leges, iudicia violavit ~ Mil. 77 per Milonem ius, aequitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in civitate manebant.

§ 44 Nulla enim potest cuiquam male de rep. merendi iusta esse causa ~ Phil. II 53 praesertim cum omnino nulla causa iusta cuiquam esse possit contra rem p. arma capiendi.

Ibid. a psalterio ~ Sest. 116.

§ 49 tum est illa .... sica .... deprehensa .... obsessus est ipse domi ~ Sest. 69 initur consilium de interitu Cn. Pompeii; quo patefacto ferroque deprehenso ille inclusus domi tamdiu fuit, quamdiu inimicus meus in tribunatu; Pis. 29; praesertim Mil. 18 comprehensus .... sica.

§ 52 ut se quisquam .... putet, cf. § 50; 46; et e. g. ad Fam. V 12, 7; Sest. 137; praesertim Vatin. 29 contumeliosissime ei toties maledicis, quoties te illi affinem esse dicis; 41 Clarissimo viro nonnullam laudatione tua labeculam adspergis; in illorum enim numero mavult T. Annius esse, qui a te vituperantur; Pis. 72 Quae quidem laudatio hominis turpissimi mihi ipsi erat paene turpis.

§ 56 quos munera contra leges gladiatoria parantes, quos apertissime largientes non solum alieni sed etiam sui, vicini, tribules, urbani, rustici reppulerunt ~ Vatin. 39 te vicini, te affines, te tribules ita oderunt, ut repulsam tuam triumphum suum duxerint; de re cf. Vatin. 37; Sest. 133 sq.

§ 58 .... Quem vos patriae conservatorem esse saepissime iudicaveratis ~ Pis. 6; 23 civis is, quem hic ordo assentiente Italia cunctisque gentibus, conservatorem patriae iudicaverat; 34 civem servatorem rei p.; Mil. 73 hunc civem senatus .... urbis ac vitae civium conservatorem iudicaverat; cf. Phil. II 2; 51; in senatu § 26; ad Quir. 5; de domo 72; 94; 101.

§ 6.

In praecedentibus postquam praecipua enumeravi ac

quoad sinebat spatium tractavi argumenta quae pertinere videantur ad singulos locos singulaque vel vocabula vel verborum formulas, paucissima quaedam de quatuor nostris orationibus in universum addere velim.

Quum igitur constet (Cic., Brut. 185; cf. 276; cf. Quint. I. O. III 5, 2) tria imprimis esse quae Romano oratori sint efficienda dicendo, nempe ut doceatur is apud quem dicatur, ut delectetur, ut moveatur vehementius, quibus in rebus docere sit debitum (cf. de opt. gen. or. 3), delectare honorarium, permovere necessarium, tantum abest ut nostrae orationes vel uno vel altero gravissimorum horum perfungantur munerum, ut e contrario

1. auditorem vexent ac tantum non enecent loquacissima quadam garrulitate quam si accuratius inspexeris nihil omnino invenies nisi singularum vocularum literarumque congeriem farraginemque ingentem; in oratione vero de domo auditor excruciatur prolixo excursu qui totus est extra causam, § 1—31; quum autem consentaneum sit, eiusmodi digressionibus apprime opus esse stilo elegantissimo limatissimo — cf. Halm, Einl. zu pro Archia, § 6: „hingegen bedurfte derjenige Teil der Rede, der extra causam ist, eine genaue Vorbereitung für den Vortrag, da seine Hauptwirkung von der schön gerundeten und sorgfältig ausgefeilten Darstellung abhing" — ita hic omnia sordere ac inculta iacere videmus [1]);

2. nihil in auditorum animis mentibusque movere valeant nisi risum, neque eum lenem nec suavem, sed acerbum plerumque atque stomachosum; id autem et permultis de causis quas supra cum lectore communicabam,

1) In eam orationem de domo, quae ad nos pervenit, omnino non quadrant ipsius Ciceronis hac de re verba, quae attuli cap. IV init.

et hercle vanissimo ventosissimo quodam gloriandi atque de se praedicandi amore, qui ut in ipso Cicerone frequenter offendit, ita in hisce lucubrationibus omnem excedit modum. Atque est haec ipsorum quoque defensorum sententia plus quam intolerabilis (cf. c. g. Schanz, G. d. r. L. I[1] p. 212 sq.);

3. omnino non modo non doceant auditorem, sed eas quoque notitias quas sibi contraxisset, deleant atque obliterent, prolixe ac fuse, immo contorte haud raro atque confuse, enarrandis iis rebus quarum omnes auditores fuissent testes oculati, quum tamen ipse orator nonnisi fando atque audiendo de iis certior fieri potuisset, quippe qui in exilio degisset dum Romae ea gererentur. Ne quis autem mihi obiciat, eandem rem fieri in Sestiana quoque, illam vero vel praeclarissimam venustissimamque omnium fere orationum Ciceronianarum haberi ab innumeris viris hac in re peritissimis: in Sestiana enim et suo loco narrantur ea quae Cicerone exsule Romae gerebantur, ita ut nulla ratione illam orationem nobis fingere possimus sine pulcherrimis illis digressionibus, et aptissime elegantissime ibi exponuntur.

Neque vero ceterarum virtutum quas summo iure in orationibus requirebant atque exigebant rhetores atque critici veteres, usquam in nostris lucubrationibus vel minimum apparet vestigium: neque enim sunt (cf. Quint. I 5,1) emendatae, neque dilucidae, nec vero ornatae; non earum quicunque est auctor loquitur (cf. ad. Her. I 144; de Orat. III 37) pure et Latine, non plane et dilucide, non denique apte et decore.

CAPUT QUARTUM.

In praecedenti capite postquam enumeravimus argumenta quae dicuntur interna, quibus fretus haud inepte contendat quis parum sibi videri veri simile, eas orationes, ubi tanta occurrat vitiorum peccatorumque farrago, Ciceronis deberi stilo plerumque elegantissimo, una quaedam nobis restat quaestio neque ea exigui momenti: de externis enim quae audiunt, etiamnunc erit disputandum argumentis, quae origini Tullianae favere videantur.

Etenim et

1°. ipse Cicero in Epistolis suis testatur, publice orando se tractasse eadem argumenta in quibus nostrae versenter orationes, gratias se egisse senatui [1]), populo Romano [2]),

---

1) Ad Att. IV 1, 5: „Postridie in senatu, qui fuit dies Non. Sept,, senatui gratias egimus;" cf. pro Planc. 74 ubi et alia extant hac de re, et haec: „oratio, quae propter rei magnitudinem dicta de scripto est." cf. quoque Middleton, Life of Cicero (Ed. 1801) II 1 sqq.

2) Cf. ad Att. IV, 1, 6, ibique vir. ill. Boot. — Cf. Wolf p. 81 sq.

dixisse se de domo sua ad pontifices [1]), de haruspicum responso in senatu [2]), — et

2°. Praeterea varia ad nos pervenerunt scriptorum testimonia ex quibus apparet eos scriptores easdem quas nos hodie legimus orationes et notas et pro vere Ciceronianis habuisse. Qualia testimonia, ut ipsa fert res, ab iis qui genuinas esse nostras orationes censent, tolluntur in caelum; quo autem iure magna eiusmodi enuntiatis (sparsis et saepe mutilatis) tribuatur auctoritas, nunc nobis erit examinandum ac investigandum.

Quum vero (1°.) pro certo inter omnes hodie constet viros dd., revera dixisse Ciceronem de iisdem argumentis quae in nostris pertractentur orationibus, statim transire licet ad (2°.) eos testes qui verba nonnulla laudant ex nostris orationibus. Qui autem a viris dd. adhiberi solent, sunt fere hi:

I. ad orationem *post reditum in senatu.*

Testes adsunt Plutarchus, Macrobius (quorum verba videantur infra, p. 87 sq.); deinde

Lactantius V 9, 17: „qui sanctissimam quoque corporis sui partem contra fas omne polluant et profanent;" inter quem locum et § 11 nostrae orationis intercedit similitudo quaedam (ubi vid. Wolf).

Mamertinus, Grat. act. Iul. c. 31: „Nunc, si tibi, imperator, parum ampla nec respondente meritis tuis oratione usus videbor, quaeso obtestorque [3]) ne meae id naturae po-

---

1) Ad Att. IV 2, 2: „Post illas datas litteras secuta est summa contentio de domo. Diximus apud pontifices pridie Kal. Octobres. Acta res est accurate a nobis, et, si umquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam, si numquam alias fuimus, tum profecto doloris magnitudo vim quandam nobis dicendi dedit;" cf. ad fam. XIV 2, 3; vid. Middleton, l. l. II 12 sqq.

2) Cf. ad Q. fratrem II 4; II 6.

3) Notetur, apud Mamertinum deesse pronomen te post „obtestor-

tius quam magnitudini beneficiorum tuorum putes esse tribuendum." cf. § 1 nostrae orationis.

II. ad or^m^. *post reditum ad Quirites.* Ammianus Marcellinus[1]) XV 5 § 23: „mirabimur illam sententiam Tullianam ex internis veritatis ipsius <adytis olim> promulgatam, quae est talis, „et quanquam optatissimum est perpetuo fortunam quam florentissimam permanere, illa tamen aequalitas vitae non tantum habet sensum quantum cum ex miseris et perditis rebus ad meliorem statum fortuna revocatur""[2]). Primus hunc locum cum nostrae or^is^. § 2 comparavit Hotomannus. — Mamertinus, l. l. c. 32, qui manifeste ante oculos habuit § 24; „sed non sine proprio iudicio" (ut Wolfii utar verbis p. 126).

III. ad orationem *de domo sua.* Valerius Maximus, cuius verba vid. infra p. 89 sqq. Quintilianus I. O. X 1, 23: „Quin etiam easdem causas ut quisque egerit utile erit scire. Nam de domo Ciceronis dixit Calidius et pro Milone orationem Brutus exercitationis gratia scripsit" e. q. s. Festus[3]) p. 241 *b* 16 qui laudat § 43: „quoque"; optimus enim Mamertini codex, A, (de cuius laudibus multus est v. d. Baehrens in praef. ad XII Panegyr. Lat. p. X sqq.) eam omittit voculam. Quae res indicio mihi est, in oratione in senatu § 1, ubi legitur „oro obtestorque" (sine addito „vos") non e coniectura hoc pronomen invehere licere; non enim librariorum neglegentia hanc vocem interiisse, sed ipsius declamatoris errore esse omissam.

1) Markland p. 283: „He, a Greek Soldier, was very ill qualified to judge of the Writings of Latin orators."

2) Est locus communis in litteris cum antiquis, tum vero recentioribus; cf. e. g. Plaut., Capt. I 2, 33 (142); Hor. Carm. II 24, 31; Soph. Ai. 964 sq.; Plato, Respubl. IX p. 583; Shaksp., Coriol. IV 1, 15; Much Ado IV 1, 220—224; Ant. and Cleop. I 4, 44—48; Schopenh. S. W. (Recl.-Ed.) I 414; Thackeray, Van. Fair LII (p. 363); A. de Musset, Adieu" etc. etc.

3) Quem locum indicavit Muellerus, Cic. op. II 2 p. CXXIV.

exemplo .... inrogari." Aquila Romanus § 18 et § 8 affert nonnulla e c. 13 et c. 5; — Iulius Rufinianus § 9 et 7 cit. c. 9 et 18; Grillius § 1 cit. § 1; § 21 cit. § 2; Pompeius grammaticus, de barb. et met. p. 467 cit. haec verba ex c. 10: „matricida, fratricida, sororicida"[1]); Servius, Aen. VIII 269 cit. c. 54; Mart. Cap. V. § 528 et 512 cit. c. 5 et 10: Priscianus XII 23 (Keil, Gr. Lat. II 591): „Cicero de domo sua: vobismet ipsis pontifices" (c. 17); Arusianus Messius p. 261 cit. c. 5; p. 210 cit. c. 23; p. 239 cit. c. 52; p. 257 cit. c. 52; p. 222; Frontonis verba p. 89, 20 Nab. „postea etiam inguen ex ulcere exstitit" (cf. de domo c. 5) utrum ex hac oratione desumpta sint, an ex Lucilio (cf. Lucil. em. Müll. p. 275, 8) incertum est[2]).

IV. ad orationem *de har. responso.* Valerius Maximus, cuius verba vid. infra p. 89 sqq.

Dio Cassius XXXIX 21 init.: *ὁ δ' οὖν Κικέρων .... ὀργήν τε εἶχε, καὶ κατηγορίας ἐποιεῖτο* „quem locum praetervidisse videntur Markland p. LXX et Wolf p. 304"[3]).

Asconius Pedianus, cuius verba vid. infra p. 94.

Quintilianus I. O. V 11 § 42 „librum de haruspicum responsis" simpliciter Ciceroni tribuit.

Arnobius Adv. Gentes IV p. 148 (Ed. Herald. p. 186) qui, nullo auctoris addito nomine, laudat § 23: „si ludius constitit .... terram tenere non potuit."

Series satis opinor longa, ut nonnullis iniciat admirationem, quemquam audere pro spuriis habere orationes, quarum

1) De hoc loco cf. Lange, Spicil. crit. p. 9.

2) Doctissimam hanc enumerationem debeo viro eruditissimo Rueck p. 9—11.

3) Sunt verba Lahmeyeri, p. 53.

γνησιότης corroboretur atque confirmetur tot testimoniis locupletissimis. At, si paulo accurratius excutimus rhetorum ac grammaticorum hunc acervum, statim elucet, diversissimam esse variorum horum testium auctoritatem, immo longe maiori eorum parti nihil omnino esse tribuendum, quippe qui tam sera vixerint aetate, tamque procul a Ciceronis saeculo remota, ut ridiculus sit putandus quicunque eorum inniti velit testimonio ac iudicio in re tam subtili quam est ea in qua versamur [1]). Mihi enim persuasum est, pro nihilo habendum esse omnium eorum testium suffragium, qui vixerunt post primum nostrae erae saeculum. Qua enim ratione tam sera posteritas rectum sibi fingere potuerit iudicium in re cuius subtilitas ipsos nonnumquam scriptorum aequales fefellit atque decepit? Quid? Nonne ab huius nostri saeculi philologis demonstratum est, primo iam saeculo post Platonis obitum, subdititia circumlata esse scripta quae ab omnibus pro vere Platonicis haberentur? [2]) Quid? nonne ex litterarum Romanarum historia luculenta

1) Ita ut Rueckium hisce velim compellare Platonis verbis (Gorg. c. 27 p. 472 B): οὐ γὰρ σύ με ἀναγκάζεις, ἀλλὰ ψευδομάρτυρας πολλοὺς κατ' ἐμοῦ παρασχομένος, ἐπιχειρεῖς ἐκβάλλειν με ἐκ τῆς οὐσίας καὶ τοῦ ἀληθοῦς. — Cf. Cic. pro Font. c. 10.

2) Vid. Schaarschmidt, die Samml. d. platon. Schriften, zur Scheidung der echten von den Unechten untersucht, Bonn 1866 p. 88: „Wir lernen also aus des Diogenes Notiz die wichtige Thatsache, dass hundert Jahre nach Plato's Tode die Schriftensammlung des Philosophen schon mit falschen Stücken untermengt war." Exempli autem gratia in memoriam revocare velim lectori, Theagem — quem dialogum ineptum omnes huius saeculi viri dd., uno dissentiente Grote, pro spurio habent — a Gellio N. A. XIII 19, 1 sq. pro genuino laudari. Gellius enim affert Theag. p. 125 B (librariorum autem errore pro „Theagis" Theaeteti irrepsit nomen usitatius). Immo ipse Thrasyllus in celebri tetralogorum catalogo, composito paucis p. C. n. annis, pro vere Platonico et hunc habet dialogum et alios, perinde subdititios.

eiusmodi innotuerunt subiectionum exempla? Quid est opus ut prolixe disseram de „Epistola ad Octavium", de „oratione antequam iret in exilium" [1]), quae ab universa antiquitate Ciceronis esse putabantur, de „invectiva in Ciceronem" [2]), cuius auctor dicebatur Sallustius, de „libris ad Herennium", de orationibus denique quae iniuria ascribebantur Catilinae atque Antonio? [3]) Ut taceam de Shaksperio aliisque recentioris aevi scriptoribus quibus prorsus idem accidit.

Cuius rei causa non ita difficilis est inventu; quum enim longo illo tempore quod intercederet inter ipsius scriptoris ac recentioris grammatici aetatem ipsa lingua èt in verborum usu èt in sententiarum connexu atque structura non leviter esset immutata, ita ut recentiores illi omnino iam non vel in loquendo vel in scribendo eodem uterentur quo ipse scriptor sermone, non mirum eos iam non eam potuisse adhibere normam accuratissimam ad quam dirigerent dictionem auctorum priorum saeculorum, qualis fuisset praesto ipsis aequalibus; iam non eos fuisse idoneos iudices, qui distinguerent stilum praeclari alicuius auctoris a stilo imitatoris satis callidi qui eadem fere ac ille vixit aetate. Praeterea autem in prisca illa antiquitate omnino non recta quae dicitur via certiores poterant fieri de auctoritate ac fide eorum librorum qui circumferebantur: non enim est quod moneam illis temporibus nondum rite atque accurate fuisse

1) Recentiore aetate pro genuina hanc declamationem habebant duo Latini sermonis existimatores peritissimi: Borrichius, Cogit. de variis Latinae linguae aetatibus p. 192 Hauniae 1675; Vorstius, de Latinitate selecta, Berol. 1738 p. 63.

2) Cf. infra p. 86.

3) Vid. Ascon. in toga cand. p. 84 K. S.: „Feruntur quoque orationes nomine illorum <Catilinae et Antonii> editae, non ab ipsis scriptae, sed ab Ciceronis obtrectatoribus: quas nescio an satius sit ignorare."

constitutam rem librariam, id quod nonnisi multis factum est saeculis post, arte praesertim inventa typographica.

Quae postquam nobiscum perpendimus, statuamus oportet, nullo iure, immo tantum non absurde, a viris dd. afferri atque enumerari longas series locorum ex variis serioris aetatis grammaticis effossorum; itaque inde ab initio missa nos facere licet (immo oportet) „testimonia" quae dicuntur et Macrobii, et Amm.i Marcellini, et Mamertini, et Lactantii, et Festi, et Aquilae Romani, et Servii, et Pompei Grammatici, et Frontonis, et Arusiani Messii, et Iulii Rufiniani, et hercle Grillii. Nihil enim ex infinitis hisce deduci potest enumerationibus nisi hoc:

Saeculis II—VI p. C. n. permultos viros doctos pro genuinis habuisse easdem orationes, quae in nostris legantur codicibus; satis igitur antiquas eas esse orationes; — id autem ex ipsis orationibus iam diu nobis innotuerat [1]).

At praeter serae aetatis illos testes alius adest, cuius testimonium aeque ac illorum tute abicere licet: Quintilianum dico. Cuius iudicium in tali quaestione non magni esse habendum, vel inde luce apparet clarius, quod „Invectivam in Ciceronem", quae Sallustii fertur nomine, quamque omnes recentiores qui scilicet veri Sallustii cognorant stilum, sine dubitatione una voce cum P. Victorio (Varr. Lectt. XV 3) spuriam et supposititiam esse declarant, ut Sallustianam tribus laudet locis [2]). Qua in re ne cui

---

1) Eos hic specto locos, ubi auctor noster copiosam ostendit historiae doctrinam, e.g. de har. resp. § 12 ubi legimus accuratissimam pontificum enumerationem; quo loco valde est memorabile, praetermissum esse flaminis Dialis nomen; constat autem ex Tac. Ann. III 58, inde ab a⁰. 87 usque ad am. 11, ergo ipso quoque a⁰. 56 quo haec oratio habita esse dicitur, flaminis illius locum fuisse vacuum.

2) Quintil. I. O. IV 1, 68; IX 3, 89; XI 1, 24. Postremo huic loco

videar partium mearum studio in temerarium abreptus esse iniquumque de eximio viro iudicium, pro me loquentes inducere libet viros dd. Spalding [1]) (ad Quint. IV, 1, 68): „Quintilianum meum non adeo magnum criticum expertus mihi videor," et Hoffmannum (l. l. p. 19): „Quintilianus, cuius iudicium in tali quaestione.... non adeo magni habendum esse concedo."

Ita ut soli testes quibuscum nobis sit res, restent Valerius Maximus, Asconius Pedianus, et Plutarchus. Quid autem exhibet Plutarchus? Vita Cic. c. 33 p. 878 A: Κατῄει δὲ Κικέρων ἑκκαιδεκάτῃ μηνὶ μετὰ τὴν Φυγήν· καὶ τοσαύτη τὰς πόλεις χαρὰ καὶ σπουδὴ τοὺς ἀνθρώπους περὶ τὴν ἀπάντησιν εἶχεν, ὥστε τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Κικέρωνος ὕστερον ἐνδεέστερον εἶναι τῆς ἀληθείας. Ἔφη γὰρ αὐτὸν ἐπὶ τῶν ὤμων τὴν Ἰταλίαν Φέρουσαν εἰς τὴν Ῥώμην εἰσενεγκεῖν [2]).

---

non ita multum esse tribuendum libenter concedo, quum ibi notissimi afferantur Ciceronis versiculi qui quum omnibus fere primi saeci. viris dd. essent in ore, aliunde quoque a Calagurritano nostro desumi potuerint. Cur autem primum Quinti. locum uncinis incluserit quadratis v. d. Bonnell, me prorsus fugit. — Ioci causa Gesneri p. 229 hic exhibere libet coniecturam: „Sed non paenitet eorum, quae ad Fabium ante hos XV annos disputavi, fuisse nempe olim aliquam Sallustii orationem in Ciceronem quae cum interisset, ex illius apud Fabium fragmentis natam declamatori exercendi ingenii occasionem." — Madvig, de Asc. Comm. p. 76 conicit (nullo iusto fretus argumento) „Quintilianum in Ciceronem diligentiorem fuisse." Non autem hoc est diligentiae, sed ingenii. — Marklandus p. 324 conicit, Quintm. in errorem esse inductum Asconii testimonio (de quo vid. infra) — quum praesertim veri non sit absimile, Asconii auditorem fuisse Quintm. (cf. I. O. I 7, 24).

1) Ne Marklandi (ap. Wolfium p. LXXIV) eorumque qui mecum omnino faciant, iniciam mentionem. — Monitum autem velim lectorem, me non esse eum, qui de Quintiliani eruditissimi rhetoris quem multis nominibus maximi facimus, meritis quidquam detraham.

2) Eadem fere leguntur apud Macrobium, Sat. II 3, 5: „Ulcisci autem

Plutarchus igitur, unicus orationis post reditum in senatu „testis" cui ullam tribuere possimus auctoritatem, dictum quoddam Tullii laudat memorabile, nullo addito fonte, nullaque iniecta mentione de loco unde haec Ciceronis desumpserit verba. Ut autem dicam quod sentio, haud mihi quidem videtur absimile veri, et Plutarchum et scriptorem (quisquis ille sit) nostrae orationis, et profecto Macrobium ex communi quodam hausisse fonte, ex nescioquo dictorum factorumque memorabilium corpore nobis deperdito, qualia in antiquitate extitisse aliunde innotuit [1]); praesertim quum inter viros dd. constet nullum Plutarchum solere aspernari fontem, ne levissimum quidem, dummodo flosculos inde decerptos addere possit narrationibus suis [2]); — accedit quod sic demum

---

se Cicero videbatur, ut respondisse sibi Vatinium meminerat, cum humeris se r e i p u b l i c a e de exilio reportatum gloriaretur, „unde ergo tibi varices?"" (in nostrae orationis § 39 legitur „Italia cuncta", non „res publica").

1) V a l e r i i M a x i m i praesertim specto „dictorum etc. memorab. libros IX", quamquam multorum eiusmodi librorum in antiquitate editorum ad nos pervenit notitia.

2) P l u t a r c h u m omnino non esse scriptorem historicum proprie dictum, qui accuratissime fontium suorum penset examinetque auctoritatem atque fidem, sed moralem tantummodo philosophum, elucet et ex hisce ipsius locis: Sol. 27 init., Cim. 2, Alex. 1, Timol. 1, Nic. 1, Alex. 1 et ex hoc facto, quod Herodoto Thucydideque nusquam fere utitur auctoribus, saepissime contra scriptoribus quales sunt Phanias Lesbius (Mueller F. H. G. II 293), Stesimbrotus Thasius (Mueller II 52), Duris Samius (Mueller II 466 cf. Schäfer, Abriss der Quellenkunde der Gr. u. Röm. Gesch. I[4] p. 83) aliisque eiusdem farinae. — cf. Weber, Weltgeschichte I[20] p. 453: „Er besass eine ausserordentliche Belesenheit, aber wenig Kritik und Auswahl der Quellen;" Blass, Plut.'s ausgew. Biogr. III[2] p. 66 .... „gelehrter Forscher hat er nie sein wollen"; ibid. p. 67: „Er ist Moralist, und nicht Historiker".

Valde autem doleo, veritatis studio me esse coactum unico loco ubi in hac dissertatione iniciam mentionem suavissimi elegantissimi doctissimi philosophi Chaeronensis, eum reprehendere atque vituperare.

recte intellegimus Macrobii locum, quoniam credere non possumus, Vatinium mediam interrupisse Ciceronis orationem ut rogaret scurrilem suam quaestionem „Unde ergo tibi varices?" Quali interrogationi nullus est locus, nisi sumamus, Ciceronem i n s e r m o n e c o t i d i a n o aliquando gloriatum fuisse, umeris se fuisse reportatum totius Italiae (vel, ut ait Macrobius, „reipublicae") [1]).

Haec autem coniectura multo mihi videtur probabilior quam est opinio Gesneri aliorumque qui existimare videantur in una hac Plutarchi narratiuncula tantam inesse auctoritatem momentumque tantum, ut non modo facile compenset innumerorum vitiorum atque ineptiarum quae in ista legantur oratione congeriem, sed ut ea prorsus obliteret atque deleat. Fieri denique p o t u i t, ut narrationem suam ex nostra declamatione desumpserit Plutarchus — quem non peritissimum fuisse linguae Latinae [2]), neque ergo iudicem idoneum in subtilissima nostra quaestione, inter omnes constat litteratos qui audiunt viros.

Transeamus ad V a l e r i u m M a x i m u m, qui, siquidem credimus viris dd., tribus locis nostrarum orationum laudat verba nonnulla, immo integras sententias. Iamque

---

1) Ut autem statim videbimus, declamator noster eiusmodi fontes non contempsit, quippe qui ipsius Valerii locum quendam in suum converterit usum.

2) Vid. Plut. v. Demosth. c. 2. — Errores nonnullos Plutarchi <cf. e. g. v. Cic. c. 3 ubi legimus δισχιλίων δ ρ α χ μ ῶ ν, quod male est versum ex pro Rosc. Am. § 6 „duobus milibus n u m m u m",> ortos ex Latinae linguae imperitia, enumerat v. d. S i c k i n g e r, de linguae latinae ap Plut[m]. reliquiis et vestigiis. Freib. 1883. — Conicere quis possit, ex T i r o n i s vita Ciceronis (cf. Q u i n t i l. I. O. VI 3, 5) hanc narratiunculam desumpsisse Plutarchum, quum ex vitae Cicer. c. 41 et 49 appareat, nota fuisse philosopho Chaeronensi Tironis scripta.

consideremus cuiusmodi sit gravissima illa Valerii cum Cicerone consensio:

a. *Val. Max. I* 1 § 1: item Matri deum saepe numero imperatores nostri compotes victoriarum suscepta vota Pessinuntem profecti solverunt. (locum indicavit Hoffmann p. 19).	*De har. resp.* § 28 *extr.*: ut.... nostri imperatores maximis et periculosissimis bellis huic deae vota facerent atque in ipso Pessinunte ad illam ipsam principem aram et in illo loco fanoque persolverent.
b. *Val. Max. VI* 3, 1, *c*: eadem ausum Sp. Maelium consimili exitu patria multavit. Area vero domus eius, quo iustitia supplicii notior ad posteros perveniret, Aequimelii appellationem traxit.	*De domo sua* § 101: Sp. Maelii regnum appetentis domus est complanata, e t q u i a i l l u d [1]) aequum accidisse p.s R.s Maelio iudicavit, nomine ipso Aequimelii iustitia (codd. stultitia) poenae comprobata est.

Ad quos locos accurate considerandos pensitandosque quicunque accedit nulla occaecatus opinione praeiudicata, agnoscat oportet:

1°. de eadem re utrumque facere verba scriptorem;

2°. utroque loco duo vel tria vocabula Valerio esse communia cum „Cicerone", nempe priore quem attuli loco:

V a l.: imperatores nostri — „C i c." nostri imperatores;

V a l.: vota solverunt — „C i c." vota.... persolverent;

altero vero loco:

1) „Et qui aliud" codd.; emend. S p e n g e l, Philol. XI 403; M o m m s e n, Hermes V p. 258 n. 2.

V a l.: Sp. Maelium — „C i c." Sp. Maelii;

V a l.: Aequimelii — „C i c." Aequimelii;

V a l.: iustitia — „C i c." iustitia (olim stultitia).

Atque hic non possum quin graviter vituperem eos viros dd. qui tam exigua perducti similitudine, magno clamore declarent, Valerium manifestissime verba sua ex Ciceronis orationibus desumpsisse [1]). Nonne hic idem deprehendimus vitium cui tam frequenter indulgere solent vv. dd. in p o e s i Latina diiudicanda, ut sc. non distinguant inter verborum s i m i l i t u d i n e s q u a s d a m f o r t u i t a s quae inter duos intercedant auctores, i. e. inter eas similitudines quae sua sponte ex ipso argumento atque certis verborum formulis proveniant, et i m i t a t i o n e s quae consulto dataque opera sint factae? [2]). Frustrane v. d. B a e h r e n s i u s a° 1875 monuit ut hunc errorem caverent critici — Hoffmannus autem fuit qui a° 1881 statuit, priore loco Valerium Ciceronis surripuisse verba — frustrane v. cl. H a r t m a n in libro „de Horatio poeta" demonstravit quam esset perversum, ea ratione imitationes ubique odorari atque captare? Me quidem iudice nullum nostris locis est imitationis aemulationisve vel levissimum vestigium; èt Valerius èt „Cicero" eandem rem, ex historia utrique notissimam, suis narrant verbis; ipsum autem argumentum quod ab utroque tractatur, causae fuit exiguae illius similitudinis quae inter eorum intercedit verba.

1) Genuina Ciceronis opera frequenter scribendi materiam praebuisse Valerio, demonstratum est a v. d. D u e b n e r, Revue de Philol. I p. 262; F. Z s c h e c h, de Cic. et Livio Valerii Maximi fontibus, Berol. p. 15 sqq.; cf. K e m p f in proleg. ad Val. Max.[1] p. 13 et 15.

2) Sunt verba B a e h r e n s i i in praef. ad Val. Flaccum 1875 p. VI; cf. v. cl. H a r t m a n, de Matthia de Vries p. 13.

At tertius est Valerii locus, multoque is gravioris auctoritatis:

Val. Max. I 1 § 1:	*De har. resp.* § 18:
Maiores statas sollemnesque caerimonias pontificum scientia, bene gerendarum rerum auctoritates augurum observatione, Apollinis praedictiones vatum libris, portentorum depulsiones Etrusca disciplina explicari voluerunt.	<Maiores> qui statas sollemnisque caeremonias pontificatu, rerum bene gerendarum auctoritates augurio, futurorum veteres praedictiones Apollinis vatum libris, portentorum explanationes (expiationes e coni.) Etruscorum disciplina contineri putaverunt.

Manifesta hic est imitatio: ad verbum enim Valerii sententia congruit cum nostri oratoris enuntiato; at tamen, id quod sentit quicunque accurate utrumque locum perlegerit, mirum quantum inter se discrepant, atque ita quidem, ut Valerii verba longe longeque praestent „Ciceronis" verbis. Etenim multo melius se habet Valerii „pontificum scientia" quam oratoris „pontificatus", multo melius „augurum observatio" quam „augurium"; longe rectius dicitur „Apollinis praedictiones vatum libris" quam „futurorum veteres praed. Apoll. vatum libris", rectius „portentorum depulsiones" quam „portentorum explanationes", melius denique „explicari voluerunt" quam „contineri putaverunt". Ita ut nullus dubitem quin ex animi sententia adstipuler Marklando — cuius hac in re ingeniosissimam argumentationem nemo posteriorum refellere valuit [1]) — suspicanti

1) Markland p. 325 sqq.; 328 sq.; 337 sqq. Quem neque refellit Gesnerus p. 226, neque Lahmeyerus p. 52 sq., neque Rueckius p. 11 sq.

non hoc loco Valerium esse simiam Ciceronis, sed hercle auctorem nostrae declamationis hunc suum flosculum mutuatum esse ab historico [1]). Quae Marklandi coniectura confirmationem quandam nanciscitur, si nobiscum reputaverimus hunc Valerii locum inveniri in ipso libri eius initio, facile igitur lectoris stringere oculos, commodeque teneri memoria; quum contra minime sit veri simile, Valerium in propylaeis tam grandis operis quam sunt „Dictorum et Factorum Memorabilium Libri Novem" struendis materiam suam sumpsisse ex oratione tam parum culta, ut ipsa verba quae esset allaturus, antequam in librum suum ea introduceret, in rectam atque sinceram ei essent redigenda Latinitatem.

Iam paucis complectamur ea quae in praecedentibus nobis se obtulerunt. Multis igitur argumentis internis quum in eam perducti essemus sententiam, vix quatuor hasce orationes dignas esse nomine Ciceroniano, ex Valerii Maximi quodam loco comparato cum verbis nonnullis ex una earum orationum, mira quaedam huic opinioni accedebat corroboratio, quum ibi appareret indicium ipsius aetatis, qua scribi potuerit supposititia ea oratio:

Composita enim esse videtur non ante annum 30 p. C. n. (constat enim, Valerium scripsisse annis fere 28—32) [2]).

Unus tantum nobis restat ex antiquitate testis, is autem

1) Siquis autem contendat fieri potuisse ut ět Valerius ět noster orator ex communi quodam hauserint fonte, nempe ex enchiridio quodam antiquitatum, quod temporum iniquitate ad nos non pervenerit, non equidem praefracte id ibo infitias; incertissimae autem eiusmodi coniecturae, quae libris innitantur deperditis, non recte adhiberi mihi videntur dum aliae nobis adsint minus arcessitae.

2) Ex Valerii loco VI 1 prooem. apparet, Iuliam inter vivos degere quum haec scriberentur (obiit autem Iulia a°. 29); locus autem IX 11 extr. brevi post Seiani compositus est mortem (a°. 31). Vid. e. g. Teuffel, Gesch. d. röm. Litt.[5] 1890 II p. 70.

locupletissimus, Asconium dico Pedianum. Cuius hac de re testimonio eo maior tribuatur necesse est auctoritas, quod videmus omnino attendisse eum ad eiusmodi quaestiones, quippe qui non ignorarit, scriptas esse quasdam orationes ab obtrectatoribus Ciceronis, atque Catilinae et Antonio falso esse tributas [1]). Asconius autem non solum orationem de haruspicum responso duobus locis vulgato auctori vindicat, sed vel integrum locum ex ea laudat, qui reapse in nostra oratione exstat. Sunt enim eius verba haec (p. 61 K. S.):

„In ea autem, quam post aliquot annos habuit de aruspicum responso, non passum esse Scipionem, sed auctorem fuisse dandi eum locum senatoribus videtur significare. Verba eius haec sunt: „Nam quid ego" (de har. resp. § 24) usque ad .... „P. Africanus II cos."

Quae Asconii verba tres nobis subiciunt coniecturas:

I. Asconius ante oculos habebat genuinam Ciceronis orationem; declamator deinde nescioquis, post Asconii demum vivens aetatem, avidissime hunc doctissimi commentatoris locum arripuit, ut lucubrationi suae plus accederet fidei, quippe quae sic instructa atque ornata, genuinae orationis Ciceronianae multo magis prae se ferret speciem [2]). Quae coniectura mihi quidem probari minime potest: primo quoniam nulla iusta adest causa cur fraudem suspicemur consulto commissam [3]); deinde vero quoniam ipse nostrae orationis stilus totusque eius sermo, in primis vero accurata rerum historicarum notitia quam hic illic ostendit declamator noster, manifestissime ad priorem nos ablegant aeta-

1) Vid. Asconii locus quem supra excripsi p. 85 ann. 3.

2) Haec fere est Wolfii opinio, p. XVIII sqq.; cf. Savels p. XII sqq.; Gesner ap. Wolfium p. XCVI sqq.; Lahmeyer p. 52 sqq.

3) Quam revera suspicatur Marklandus p. 328 et passim.

tem quam erat ea quae Asconii sequebatur tempus. (Asconius autem scripsit a⁰ fere 60) [1]).

II. Hanc coniecturam numeri tantum causa hic exhibeo; nihil enim ei esse tribuendum penitus sentio. Est autem haec: Declamatorem quendam primi p. C. n. saeculi familiaritate vel necessitudine quadam artissime fuisse coniunctum cum Asconio; hunc autem de industria tanquam vere Ciceronianam laudasse hanc declamationem de har. resp., ut morem gereret amico suo, qui perbene intellegeret sic demum auctoritatem atque fidem lucubrationi suae accedere. Fraudulentos igitur fuisse et declamatorem et Asconium. Causa autem, cur huic coniecturae nihil tribuam, est haec: quod inter philologos valet atque viget consuetudo humanissima, ut iis testibus qui in rebus proprie philologicis aliquam rem testentur, infinitam tribuant fidem quamdiu nulla iis adsunt manifesta improborum indicia morum. Cui principio humanissimo grato atque laeto animo me adiungo.

III. Nostra oratio scripta est ante Asconium, quem ipsum in errorem induxit Imitatoris mira eruditio atque ampla temporum Ciceronianorum doctrina. Id quod mihi videtur et valde probabile et unice verum. Quamobrem breviter hac ratione comprehendere licet sententiam nostram:

Orationem de har. resp. confectam videri post annum 30, ante annum 60 post Christum natum.

1) Vivebat Asconius annis fere 2—87; secundum Madvigium (de Asc. p. 16 sqq.) scripsit a⁰ fere 67, Kiesslingio Schoellio (p. X sqq.) iudicibus quinquagenarius fere orationes Ciceronianas filiis suis enarravit. Commentationem autem in Scaurianam a⁰ 56 esse compositam pro certo constat, cf. K. S. p. X. — Cf. Schanz, Gesch. d. röm. Litt. II¹ 1892 p. 429: „Der erhaltene Teil wurde zu Rom zwischen 54 und 57, also zu Anfang der Regierung Neros geschrieben."

Iam autem inter omnes viros doctos qui de nostro egerunt argumento, cum inter eos qui harum orationum patrocinantur origini Tullianae, tum vero inter adversarios, pro certo constat, omnes hasce orationes uni atque eidem deberi scriptori: illi enim asseverant, universas, quamvis sint stilo compositae sordidissimo neglegentissimo, tamen esse conscriptas ab ipso Cicerone — dormitanti scilicet [1]; — hi contra declamationes esse contendunt confectas ab uno atque eodem sciolo non omni ex parte ineptissimo [2]. Cum autem, ut supra demonstrare sum conatus, valde sit veri simile, orationem de har. resp. esse conscriptam non ita multum post A^{m} 30, de ceteris orationibus haud inepte idem coniciat quis opinor, praesertim quum nulla adsint testimonia quae cum hac pugnent coniectura.

---

1) Ipsi nempe τῆς γνησιότητος defensores concedunt, multa occurrere in nostris orationibus quae iure reprehendi possint, e. g. L a h m e y e r p. 64: „non nos quidem ei sumus, qui tanquam perfectam omnibusque numeris absolutam hanc orationem lectoribus propinare velimus: sed constat omnino, in orationibus statim post exsilium habitis Ciceronem remisisse paullulum pristinam vim oratoriam." — Unde autem hoc „constat"? E x i p s i s n e m p e h i s c e o r a t i o n i b u s ! ! Vitiosissima igitur subest *petitio principii* quae dicitur. Nam ipse Cicero in epistolis (vid. h. cap. ann. 1—3) prorsus contrarium testatur. — H o f f m a n n p. 20: „Maximam partem earum rerum, quibus i u r e offensi sunt adversarii" ....; hodie cf. S c h a n z, G. d. röm. Litt. I[1] p. 212 sqq.

2) Non opus opinor, ut multis allatis locis communem hanc virorum dd. opinionem stabiliam atque confirmem; unum proferam defensorem, unum adversarium; W o l f p. XLIV: „Reliquimus itidem aliud quid, sed longe facilius, cuicunque libeat, demonstrandum, a nobis saepe significatum nulla ratione adiecta, haud pluribus quam uni auctori istas quatuor orationes tribuendas esse. Nimirum hoc non minus certum videbitur eas aliquotiens uno tenore perlegenti, quam omnes adhuc Ciceroni per errorem esse adscriptas"; cui assentitur Beckius p. 627; L a h m e y e r p. 50: „ac profecto quin eiusdem quatuor illae orationes sint, vix dubitari potest."

Siquis autem postulat [1]), ut certus aliquis a nobis nominetur scriptor, cui hae orationes sint vindicandae, — omni enim carere fundamento argumentationes quibus non certum aliquod falsarii praesto sit nomen — huic responsum velim, minime hac re esse opus in quaestione quae in tam prisca versetur antiquitate [2]).

Immo, praedicanda mihi nostra videtur felicitas, quod non omnia nobis innotuerint nomina omnium primi saeculi declamatorum atque rhetorum, qui potuerint conficere orationes quales sint quatuor istae, post reditum quae vocentur.

---

1) Id quod facit L a h m e y e r p. 25.

2) Summo autem iure a recentioribus eae vituperantur ariolationes quas hac de re profert M a r k l a n d u s p. 233 „they were not written even by an Inhabitant of Rome, but by a Foreigner or a Provincial Author." — p. 333 sq.: „For if it be said, That they might originally be written by C i c e r o, but that in process of time, thro' the Negligence of Transcribers, or the Interpolation of others, the e x c e p t i o n a b l e p a s s a g e s may have crept into the C o n t e x t: It may be answered, That upon this Supposition, a F a l s e I n s c r i p t i o n too of the orations may likewise have c r e p t in; and that instead of being the Writing of C i c e r o, they might o r i g i n a l l y have been the Performance of T h u s e u s or M u r r h e d i u s (two Declaimers of memorable stupidity in the time of Augustus and Marcus Seneca) or of any other Author; and the name of C i c e r o prefixt to them afterwards." E. q. s. — Cf. W o l f p. XLIII „in plurimis rebus, quae non Ciceronem, sed imitatorem eius, velut aliquem A o n i u m P a l e a r i u m ex celebri secta Ciceronianorum, a nobis audiri significant." — Contra quos disputat e. g. L a h m e y e r u s p. 25 sq.

THESES.

THESES.

I.

Orationes quatuor „post Reditum in Senatu, post Red. ad Quirites, de Domo sua, de Harusp. responso" Ciceronis son sunt.

II.

Cicero, de divin. I § 5:

Reliqui vero omnes praeter Epicurum [balbutientem de natura deorum] divinationem probaverunt.

Inclusi additamentum.

III.

Cicero, de divin. I § 12 legatur:

Observata sunt haec tempore immenso et significati*ones* even*tis* animadvers*ae* et not*atae*.

IV.

Cicero, de divin. II § 10:

De illis vero rebus, quae in philosophia versantur, num quid est quod quisquam divinorum aut respondere soleat aut consuli, quid bonum sit, quid malum, quid neutrum? [sunt enim haec propria philosophorum.] quid? de officio num quis haruspicem consulit e. q. s.

Deleantur verba inclusa.

V.

Cicero, de divin. II § 13:

Sed animadverti, Quinte, te caute et ab iis coniecturis, quae haberent artem atque prudentiam, et ab iis rebus, quae sensibus a u t a r t i f i c i i s perciperentur, abducere divinationem, eamque ita definire....

Legendum censeo:

quae sensibus [haut artificiis] perciperentur.

VI.

Cicero, Tuscul. I § 36:

In terram enim cadentibus corporibus iisque humo tectis, [e quo dictum est humari,] sub terra censebant reliquam vitam agi mortuorum.

Deleatur emblema.

VII.

Cicero, Laelius § 7:

Te sapientem et appellant et existimant. Tribuebatur hoc modo M. Catoni, scimus L. Acilium apud patres nostros appellatum esse sapientem, sed uterque a l i o q u o d a m m o d o; Acilius, quia prudens esse in iure civili putabatur, Cato, quia multarum rerum usum habebat:.... te autem [a l i o q u o d a m m o d o] non volum natura et moribus, verum etiam studio et doctrina esse sapientem.... existimant.

Delevi verba male repetita.

VII.

Varro, de Re Rust. II 1, 9 (p. 75 Keil):

Romanorum vero populum a pastoribus esse ortum quis non d i c i t? quis Faustulum nescit pastorem fuisse nutricium e. q. s.

Legatur: quis non d i d i c i t.

Cf. Freinshemii emendatio loci Tacitei Hist. I 29 „discam" pro „dicam".

IX.

Petronius, Sat. c. 28:

Iam T r i m a l c h i o unguento perfusus tergebatur.... Tres interim iatraliptae in conspectu eius Falernum potabant, et cum plurimum rixantes effunderent, T r i m a l c h i o hoc suum propinasse dicebat. Hinc involutus coccina gausapa lecticae impositus est praecedentibus phaleratis cursoribus quatuor et chiramaxio, in quo deliciae eius vehebantur, puer vetulus, lippus, domino [T r i m a l c h i o n e] deformior.

Ultimo loco deleatur nomen proprium.

Subsimiles interpolationes leguntur c. 75.

X.

Statius, Silv. II 1, 20:

lacrimis en et mea carmina in ipso
ore natant tristesque cadunt in verba liturae.
Ipse etenim tecum nigrae sollemnia pompae
spectatumque urbi s c e l u s e t puerile feretrum
produxi e. q. s.

Legatur:

spectatumque urbi — scelus ah! — puerile feretrum.

XI.

Tacitus, Hist. I 57 i. f.:

Sed manipuli quoque et gregarius miles viatica sua et balteos phalerasque, [iusignia armorum argento decora,] loco pecuniae tradebant, instinctu et impetu et avaritia.

Delevi interpretamentum. Cf. c. 20.

XII.

Tacitus, Hist. II 14 init.:

Inminere provinciae Narbonensi, [in verba Vitellii adactae,] classem Othonis trepidi nuntii Fabio Valenti attulere.

Inclusi verba ex I 87; II 12 perperam huc invecta.

XIII.

Tacitus, Hist. III 19 s. f. deleantur verba:

[Expugnatae urbis praedam ad militem, deditae ad duces pertinere].

XIV.

Tacitus, Hist. III 81:

Id plerisque ludibrio, pluribus taedio: nec deerant qui propellerent proculcarentque, ni admonitu modestissimi cuiusque [et aliis minitantibus] omisisset intempestivam sapientiam.

Expunxi verba quae sententiam impediunt.

XV.

Seneca, Ep. Mor. 95 § 60:

„Quid enim dicunt? praeceptis vitam satis explicari, supervacua esse decreta sapientiae [, id est dogmata].

Deleatur glossema.

XVI.

Euripides, Troad. 862 sq.:

Menelaus: ὦ καλλιφεγγὲς ἡλίου σέλας τόδε,
ἐν ᾧ δάμαρτα τὴν ἐμὴν χειρώσομαι
862 Ἑλένην· ὁ γὰρ δὴ πολλὰ μοχθήσας ἐγὼ
Μενέλαός εἰμι καὶ στράτευμ' Ἀχαϊκόν.
Ἦλθον δὲ Τροίαν οὐχ ὅσον δοκοῦσί με
γυναικὸς εἵνεκ', ἀλλ' ἐπ' ἄνδρ' ὃς ἐξ ἐμῶν
δόμων δάμαρτα ξεναπάτης ἐλήσατο.

Iuiuria v. cl. Herwerdenus delevit vss. 862 sq., assentiente Nauckio. Ego libentius crediderim, post vs. 863

Μενέλαός εἰμι καὶ στράτευμ' Ἀχαϊκὸν

unum excidisse versum.

XVII.

[Euripides], Rhes. 222:

Dolon: σωθήσομαί τε καὶ κτανὼν Ὀδυσσέως
οἴσω κάρα σοι, σύμβολον δ' ἔχων σαφὲς
φήσεις Δόλωνα ναῦς ἐπ' Ἀργείων μολεῖν,
222 ἢ παῖδα Τυδέως· οὐδ' ἀναιμάκτῳ χερὶ
ἥξω πρὸς οἴκους, πρὶν φάος μολεῖν χθόνα.

Verba ἢ παῖδα Τυδέως vitiosa videntur.

XVIII.

Schol. Soph. Antig. 1096 (Papag. p. 269) legatur:
τὸ μὲν ὑποχωρεῖν δεινὸν τὸ δὲ ἀντιστάντα βλαβῆναι <δεινότερον>.
Lacunam indicaverat M. Schmidtius.

XIX.

Maximus Tyrius, Diss. XIV c. 8:
Θεὸς μὲν οὖν αὐτὸς κατὰ χώραν ἱδρύμενος οἰκονομεῖ τὸν οὐρανόν, καὶ τὴν ἐν οὐρανῷ τάξιν. Εἰσὶ δ' αὐτοῦ φύσεις ἀθάνατοι δεύτεραι, θεοὶ καλούμενοι δεύτεροι, ἐν μεθορίῳ γῆς καὶ οὐρανοῦ τεταγμένοι· θεοῦ μὲν ἀσθενέστεροι, ἀνθρώπων δὲ ἰσχυρότεροι· θεῶν μὲν ὑπηρέται, ἀνθρώπων δὲ ἐπιστάται· θεῶν μὲν πλησιαίτατοι, ἀνθρώπων δὲ ἐπιμελέστατοι.

Legendum θεοῦ, ... θεοῦ.

XX.

Plutarchus, v. Sol. c. 7 s. f.:
Δεῖ δὲ μήτε πενίᾳ πρὸς χρημάτων πεπαῦσθαι στέρησιν

μήτε ἀφιλίᾳ πρὸς φίλων ἀποβολὴν μήτ' ἀπαιδίᾳ πρὸς τέκνων θάνατον, ἀλλὰ τῷ λογισμῷ πρὸς πάντα.

Pro πεπαῦσθαι legatur πεφράχθαι, cum Bryano.

XXI.

Philostratus, v. Apoll. VIII c. 30 i. f.:
τὸ δὲ ᾆσμα ἦν· „στεῖχε γᾶς, στεῖχε εἰς οὐρανόν, στεῖχε". [οἷον· ἴθι ἐκ τῆς γῆς ἄνω].

Deleatur interpretamentum.

XXII.

Lucianus, Alex. c. 12:
Ῥᾳδίως δὲ τοῦτο ὑπῆρχεν αὐτῷ στρουθίου [τῆς βαφικῆς βοτάνης] τὴν ῥίζαν διαμασησαμένῳ· τοῖς δὲ θεῖόν τι καὶ φοβερὸν ἐδόκει καὶ ὁ ἀφρός.

Delevi voculas tantum non molestas.

XXIII.

Socratis daemonium explicari non potest nisi adhibeatur Conscientiae Subliminalis notio („the subliminal consciousness", „das Unterbewusstsein"). Summa autem iniuria silentio a philologis premitur egregia quam protulit v. d. Myers huius rei interpretatio (quae legitur in Proceed. of the Soc. for Psychical Research V (1888) p. 522 sqq.).

XXIV.

Non recte v. d. Riess in Paulyi Real-Encycl. 1894 pro superstitione habet veterum populorum opiniones de morientium „divinatione" (i. v. Aberglaube p. 92: Sterbende weissagen (allgemein)).

XXV.

Errat v. d. Burckhardt ubi scribit (Griechische Kulturschichte, ed. Oeri 1898 II p. 289): „Während es kaum zu glauben ist, dass spartanische Ephoren und attische Demagogen für Hypnose empfänglich gewesen"....

XXVI.

Vehementer errat v. d. Bouché-Leclercq scribens (Histoire de la Divination dans l' Antiquité I 1879 p. 38): „Comme Phérécyde de Syros, Anaxagore fit des prédictions fondées sur la science de la nature".

XXVII.

Non recte, ubi agit de Ciceronis libris de Divinatione, haec exhibet v. d. Boissier (la Religion romaine[4] 1892 I p. 55): „Il détruit les arguments de ceux qui prétendent qu'il y a une science pour connaître l'avenir".

XXVIII.

Perperam v. d. Stoll (in libro selectae ceteroquin plenissimo eruditionis „Suggestion und Hypnotismus in der Völkerpsychologie 1894") quaecunque vel ex antiquitate ad nos pervenerunt narrationes mirae atque fabulosae, vel hodie circumferuntur, explicare conatur adhibito „Suggestionis" vocabulo. — Omnino non omni ex parte acquiescendum in laudibus quas huic libro tribuunt et alii viri dd. et H. ten Kate in Internat. Arch. f. Ethnogr. VIII (1895) p. 80 sq.

XXIX.

Liber „di Vesme, Geschichte des Spiritismus, übers. von Feilgenhauer, Band I das Altertum, 1898" est pessimae notae.

XXX.

Iniuria a viris dd. (e. g. v. cl. Heymans in „Museum" sept. 1899 p. 202 sqq.; Tetzner, Mehler, Pochhammer in „Umschau", vid. „Wetensch. Bladen" sept. 1899 p. 468—471) Lehmanni liber „Aberglaube und Zauberei, von den ältesten Zeiten an bis in die Gegenwart, übers. von Dr. Petersen, 1898" in coelum tollitur. Est enim pessimus.

XXXI.

In bibliothecis nostris publicis aegre desiderantur libri pertinentes ad eam DISCIPLINAM quae anglice vocatur „Psychical Research".

ERRATA.

p. 3	linea	8	pro	literum	leg.	literarum.
p. 5	„	17	„	ludribrio	„	ludibrio.
p. 9	„	14	„	ἐξετάξειν	„	ἐξετάζειν.
p. 24	„	1	„	ia	„	ea.
p. 60	„	14 et 15	„	verr.	„	Verr.
p. 101	„	5	„	son	„	non.